152 H S 2 (3

9-

PRIMARIA QVAEDAM DOCVMENTA
DE
ORIGINE TYPOGRAPHIAE

QVORVM ILLVSTRATORVM
PARTEM TERTIAM
MODERANTE
CHRISTIANO GOTLIB. SCHVVARZIO
COM. PAL. CAES. ET PROF. PVBL.
A. D. VII DECEMBRIS A. S. R. CIƆIƆCCXXXX
DISPVTANDI CAVSSA
PROPONIT
GVSTAVVS PHILIPPVS NEGELEIN
NORIMBERGENSIS

ALTORFII
TYPIS IOHANNIS ADAMI HESSELII.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIO III
QVA
PRIMARIA QVAEDAM DOCVMENTA
DE
ORIGINE TYPOGRAPHIAE
ILLVSTRANTVR.

I.

ETſi primae plurimarum artium origines obſcurae incertaeque eſſe ſoleant; ſaeculo tamen recuperatae ſalutis humanae decimo quincto nihil manifeſtius certiusque habitum eſt, quam inuentionem TYPOGRAPHIAE GERMANIS deberi. Nihilominus tamen poſtea homines extitere, neſcio, quo affectu praeiudicioque abrepti, qui eam laudem ad alias nationes transferre ſategerint. Quo nomine, ut alios iam taceamus, cumprimis notandus eſt quidam ſcriptor Italus, qui ſine ulla probatione, aut ueriſimilitudine, tradere auſus eſt, hanc artem a Poeta quodam Italo, PAMPHILIO CASTALDI, Feltriae in Marchia Taruiſina nato, profectam, et cum FAVSTO COMESBVRGO communicatam eſſe. Prodiit enim ante hos triginta annos in Italia Liber, hoc titulo inſignitus: *Memorie iſtoriche di Feltre, con diuerſi auuenimenti nella Marca Triuigiana e nell' Italia accaduti, e con diſtinta relazione di tutti li Principi, Veſcoui, e Gouenatori, che dominiarono detta città ſino l'anno* 1710. *Aggiuntoui il Catalogo delle Iſcrizioni antiche e moderne del Co: Antonio del Corno, Dottore delle*

Digitized by Google

leggi in Venezia. in Venezzia, MDCCX. 4. Ibi, *pag.* 124, haec narrantur: *Dalle nobile Caſa* CASTALDIA, *che trahe la ſua origine da Caſtalio Goto, che fù Capitanio in Feltre l'anno* 539, *per Theodatò, Re d'Italia, ne uſcirono fra gl'altri* PANFILIO *Poëta eruditiſſimo, qual trovò di ſtampare i libri l'an.* 1440, *e poſcia la communicò a* FAVSTO COMESBVRGO, *ſuo grand'amico, che la miſe in uſo in Germania nella città di Magonza l'anno* 1450. Mira haec eſt narratio, aut potius iactantia; quam, ut opinamur, ipſi alii Itali cordatiores improbabunt. Quis enim unquam in hiſtoria literaria, aut in alio documento, meminit PAMPHILII CASTALDI, tanquam auctoris artis typographicae? Quis usquam deprehendit libros ab eo excuſos, aut ſaltem indicia officinae typographicae ab eodem inſtructae? Quomodo ille in tantam amicitiam et familiaritatem, aut FAVSTI, aut GVTEMBERGII, aut utriusque, peruenit, ut hanc artem prius cum his, quam cum popularibus ſuis, communicarit? An PAMPHILIVS unquam in Germaniam uenit, et, ſi uenit, utrum docuit GVTEMBERGIVM et FAVSTVM hanc artem, an his ſaltem miniſtri ſeruique munia praeſtitit? (Vide, ſodes, infra *Obſeruationem noſtram* VI, *ad Carmina quaedam uetera de origine typographiae.*) GVTEMBERGIVM enim et FAVSTVM in Italia aliquandiu uixiſſe, nuſquam legimus, nuſquam audiuimus. Et cur ANTONIVS DE CORNO, qui haec narrat, nomen GVTEMBERGII corruptum in COMESBVRGO conuertit, et FAVSTO, tanquam cognomen, adſcripſit? Vides, quot ἄτοπα, quot ἄπιστα, quot ἀκατάλληλα, in hac una narratione ocurrant; quae ut refutentur, non opus eſt. Interim his unicum alterius Itali, ſed primis ab inuenta typographia temporibus proximi, et fide digniſſimi, IOANNIS ANDREAE, *Epiſcopi Alarienſis*, teſtimonium, opponemus; qui PAVLLVM II, Pontificem Maximum, in epiſtola de-

dedicatoria primae editionis *Epiſtolarum diui Hieronymi, Romae*, A. 1468, a *Conrado Sueynheim*, et *Arnoldo Pannarts*, impreſſarum, inuentionem typographiae unice GERMANIS adſcribit.

II.

IOANNIS ANDREAE EPISCOPI ALARIENSIS TESTIMONIVM DE TYPOGRAPHIA A GERMANIS INVENTA, IN EXEMPLARI EPISTOLARVM HIERONYMI A. CIↃ CCCC LXVIII, AD PONTIF. MAX. SCRIPTVM:

Tuis certe temporibus, inquit, *ad reliquas* DEI *gratias hoc etiam felicitatis orbi chriſtiano acceſſit munus, ut pauperrimi quique parua pecunia bibliothecas poſſint redimere. Quae uolumina uix centum aureis emi poterant aliis temporibus; uiginti hodie, ac minoris, bene exarata, et non mendoſiſſime ſcripta, redimuntur: quae uix uiginti aureis Lectores mercabantur; quatuor, et uilius, nunc etiam emuntur. Adde, quod, quidquid ingeniorum olim fuit, latebatque pene in puluere ac tineis, propter immenſos labores, ac imperitiam deſcribentium nimiam, ſub tuo principatu coeptum eſt ſcaturire, et per omnem orbem uberrimo fonte diffluere. Eiusmodi enim eſt impreſſorum noſtrorum, et characteres effingentium, artificium, ut uix inter hominum inuenta, non modo noua, ſed ne uetera quidem, quicquam excellentius inueniri poſſit. Digne honoranda profecto* GERMANIA *eſt, utilitatum inuentrix maximarum. Hoc eſt, quod* NICOLAVS CVSENSIS, *Cardinalis S. Petri ad Vincula, peroptabat, ut haec ſancta ars, quae oriri tunc uidebatur in Germania, Romam deduceretur. Iam uota illius, tuo tempore, impleta ſunt. Ego poſteris in his ſcriptis conſtanter ſemper admirationi futuram trado, praeſtantiſſimos characterum imprimendorum artifices, ſub Paulli II, Veneti, Pontificatu, Romae artem exercuiſſe ſtupendo*

pendo artificio, ſummaque induſtria. Nunc igitur, ſumme Pontificum, S. Hieronymi primum uolumen habe, habiturus deinceps, ſtatutis temporibus, ſemper noua tuae felicitatis indicia. Foue, quaeſo, artis huius utiliſſimae ſub tua protectione CONRADVM, *et* ARNOLDVM, Germanos homines, *arte imprimendi praeſtantes artifices.*

III.
OBSERVATIONES QVAEDAM AD PRAECEDENS TESTIMONIVM.

OBSERVAT. I. Gratias debemus Manibus ingenui huius Epiſcopi Alarienſis, qui tam honorificum praeconium detulit Germaniae, tanquam *maximarum utilitatum inuentrici*, et qui ſub ipſa typographiae primordia teſtatus eſt, hanc artem in *Germania* ortam eſſe. Erat is primum *Secretarius Bibliothecae Vaticanae*, deinde ab A. 1468 *Epiſcopus Alarienſis* in Corſica. Obiit A. 1493. *Hic eſt ille*, ut refert IO. ALB. FABRICIVS, in *Bibliotheca med. Latin. Vol.* 1, *pag.* 236, *qui, poſt repertam in Germania, et Italiae feliciter illatam typographiam, primas Romanas editiones Patrum eccleſ. et optimorum Auctorum Claſſicorum, egregie promouit, recenſuitque, et emendauit, cum Io. Antonio Campano, Theodoro Gaza, paucisque quibusdam aliis.*

OBSERVAT. II. *Nicolaus Cuſanus*, qui optauerat, ut Typographia, quae tunc coeperat oriri in Germania, deduceretur in Italiam, natus A. 1401, in patria *Cuſa*, uico Treuirenſis dioeceſeos, ab A. 1448, Cardinalis, defunctus Tuderti in Vmbria, A. 1464; teſte *Vghello, T. III Ital. ſacrae, pag.* 504, fuerat *Ioannis Andreae*, Epiſcopi Alarienſis, contubernalis. Ergo iam ante annum 1464 innotuerat in Italia, artem typographicam oriri in Germania.

OBSERVAT. III. Illi librorum imprimendorum artifices, de quibus hoc loco loquitur *Epiſcopus Alarienſis*, fuere

fuere *Germani*, nominatim, CONRADVS SCVVEINHEIM, et ARNOLDVS PANNARTZ, qui primi artem Typographicam in Italiam intulerunt. Teſtantur id *Chronica Summorum Pontificum Imperatorumque*, A. cIↃ CCCC LXXVI *Romae per M. Iohannem Schurener de Bopardia* excuſa, in quibus ad A. cIↃ CCCC LXIIII haec legimus: *Sedente Paulo II, Papa,* CONRADVS SVVEYNHEYM, *ac* ARNOLDVS PANNARTZ, VDALRICVS GALLVS, *parte ex alia,* TEVTHONES, *librarii inſignes, Romam uenientes, primi imprimendorum librorum artem in Italiam induxere, trecentas chartas per diem imprimentes.* CONRADVS ille SCHVVEINHEIM ſic uidetur cognominari a patria. *Schvveinheym* enim eſt uilla territorii Moguntini, quae hodie dicitur *Schvvanheim*: itaque credibile eſt, *Conradum* hunc in officina typographica primorum typographiae Magiſtrorum, qui fuere Moguntiae, artem hanc didiciſſe, et inde detuliſſe in Italiam. Nobis ad manum ſunt *Ciceronis officia, Paradoxa, Laelius, et Cato;* in quorum librorum fine haec legimus:

Hoc Conradus opus Suueynheym ordine miro
Arnoldusque ſimul Pannartz una aede colendi
Gente theotonica, Romae expediere ſodales.

Anno Xpi M. CCCC LXIX. *die uero* XXIII. *menſis Ianuarii. Rome in domo magnifici uiri Petri de maximo.* 4. mai.

Sed, docente cl. MAITTAIRIO, iidem typographi iam A. 1467, *Ciceronis epiſtolas ad familiares*; A. 1468, *Auguſtinum de ciuitate dei*, et *Lactantii Inſtitutiones*, itemque *Hieronymi Epiſtolas*, nec non *Roderici Zamorenſis Speculum uitae humanae*, ſubſignatis nominibus ſuis, excuderant. VLRICVS GALLVS, cuius etiam in *Chronicis Romanis* fit mentio, non ſic cognominatus eſt a natione *Gallorum*; ſed hac uoce exprimitur Germanicum eius nomen. Id quod maxi-

maxime cognoſcimus ex ſubſcriptione *Inſtitutionum Iuſtiniani* ab ipſo impreſſarum : *Preſens harum inſtitutionum preclarum opus. Alma in urbe Roma totius mundi regina et digniſſima Imperatrice. que ſicut pre ceteris urbibus dignitate preeſt. ita ingenioſis uiris eſt referta. non atramento. plumali calamo. neque ſtilo ereo. ſed artificioſa quadam adinuentione imprimendi. ſeu characterizandi ſic effigiatum. ad dei laudem induſtrieque eſt conſumatum per* VDALRICVM GALLVM *Alamanum. alias* HAN. *ex Ingelſtat. Ciuem VVienẽ. Et correctum tam in textu quam in glo. per eximium et preclarum iuris utriusq; doctorem dnm Carolum de Alexandris de Peruſio. Anno domini* M CCCC LXXV. XVIIII. *Kal. Auguſti. Sedente Sexto* IIII, *Pontifice maximo.* fol. Sed idem hic VLRICVS HAN *de VViena*, referente MAITTAIRIO, iam A. 1468 Romae typis impreſſerat *Ciceronis libros tres de Oratore.*

OBSERVAT. IIII. Sicuti uero CONRADVS SCHVVEINHEIM, Germanus, primus artem typographicam exercuit Romae ; ita notatu dignum eſt, hunc ipſum Germanum merito referendum eſſe inter inuentores *chalcographiae*, ſiue artis figurarum aeneis tabulis exprimendarum, quae ars utique aemula eſt typographiae, aut certe eius exornatrix. Poſſideo enim uetuſtam *Coſmographiae Ptolemaei* editionem, cui adiectae ſunt XXVII *Tabulae Geographicae*, aere inciſo expreſſae, quarum elegantia, in hoc forte omnium primo ſpecimine, omnes ſpectatores lectoresque facile in admirationem rapit. In calce huius rariſſimi libri, cuius neque ORLANDVS, neque MAITTAIRE, neque MARCHANDVS, uiri doctiſſimi, meminere, ſequentia uerba literis maiuſculis ſunt expreſſa : CLAVDII PTOLEMAEI ALEXANDRINI PHILOSOPHI GEOGRAPHIAM ARNOLDVS BVCHKINCK E GERMANIA ROME TABVLIS AENEIS IN PICTVRIS FORMATAM IMPRESSIT. SEMPITERNO INGENII ARTIFICIIQVE MONVMENTO.

ANNO

ANNO DOMINICI NATALIS M. CCCC. LXXVIII. VI. IDVS OCTOBRIS SEDENTE SIXTO IIII. PONT. MAX. ANNO EIVS VIII. *Fol. maiore.* In praefatione iſtius operis plura narrantur, quae ad notitiam huius inuentionis pertinent. *Domitius Calderinus, Veronenſis,* inquit auctor praefationis, *cui huius emendationis prouincia demandata fuerat, eam curam ſuſcepit, aſſerens, cum uetuſtiſſimo Graeco, manu Gemiſti Philoſophi emendato, Latinos codices ſe collaturum. Magiſter uero* CONRADVS SVVEYNHEYM, *Germanus, a quo formandorum Romae librorum ars primum profecta eſt, occaſione hinc ſumta, poſteritati conſulens, animum primum ad hanc doctrinam capeſſendam applicuit, ſubinde mathematicis adhibitis uiris, quemadmodum tabulis aeneis imprimerentur, edocuit, trienioque in hac cura conſumto, diem obiit. In cuius uigiliarum laborumque partem non inferiori ingenio ac ſtudio* ARNOLDVS BVCKINCK *e Germania, uir apprime eruditus, ad imperfectum opus ſuccedens, ne, Domitii Corradique obitu, eorum uigiliae emendationesque ſine teſtimonio perirent, neue uirorum eruditorum cenſuram fugerent, immenſae ſubtilitatis machinamenta examuſſim ad unum perfecit.*

IIII.

Supra, in *Indice Librorum, in prima eaque Moguntina officina typographica excuſorum, num.* XXX, recenſuimus NOVAM COMPILATIONEM DECRETALIVM GREGORII VIIII, A. 1473, Moguntiae a PETRO SCHOEFFERO excuſam; cuius operis calci carmina quaedam adiecta eſſe, indicauimus. Quae carmina, quamuis ſatis ſint rudia, et tantum non barbara; cum tamen non parum ad illuſtrandas typographiae origines conferant, aeque non negligendi a nobis fuere, ac ſcriptores plerique medii aeui, quos non poſſumus non aliquando magni aeſtimare, cum ad cognoſcendas res ſuo tempore geſtas faciant, etſi ſaepe incomtiſſimo

ſcribendi genere uſi. De quibus carminibus MAITTAIRE, in noua editione *T. I Annal. typograph. pag.* 327: *Mirabitur lector*, inquit, *uocum monſtra, poeſinque tot ſoloeciſmis ac barbariſmis deformatam, et toties contra omnes grammaticae partes adeo abſurde peccantem, ut in plerisque Oedipo ad ſenſum eruendum opus ſit.*

V.

CARMINA VETERA DE ORIGINE TYPOGRAPHIAE, DECRETALIBVS GREGORII VIIII, A. cIↄ CCCC LXXIII MOGVNTIAE A PETRO SCHOEFFERO EXCVSIS, ADIECTA.

I.] Cur deus ultimis temporibus artis impſſorie nouū ſeculo munus inuexerit.

1) *Pape quid hec nris petit ars noua z inclita ſeclis.*
Priſcis cur patribꝫ lux ea non micuit.
Quot pr omipotes creat. hos vocat. hos ſimul omes
Vult ſaluos veri noticia fieri.
Hinc dudū exhibita eſt cupimus quā vita ſecunda
Cuncti. ſed multi poſſe venire negant.

Hac

1.) *Pape.* In exemplari noſtro ſpatium relictum eſt, ut prima litera maiuscula huic uoci calamo appingeretur; quam tamen librarius, ſiue illuminator, appingere oblitus eſt. Coniiciebamus primum, an forte legendum ſit: *Cape*, i. e. *percipe*; ſed metrum uerſus non admittit hanc uocem; quamquam auctori horum uerſuum peccata metrica ſint admodum ſolennia. MAITTAIRE, l. c. exhibet: *Pape.* quam particulam pro interiectione, *Papae*, habemus; quamquam nec in hac uocula metri ratio ſit habita.

Digitized by Google

Hac iterū ydolatras 2) arte et tinctos ꝛ apellas
Accerſire parat quam prius adueniat.

II.] Apologia vel excuſatio cleri de ignorātia ꝛ carētia libroꝝ.

Trāſeat 3) allophiluſ. Criſti cauſatur alumnus,
Haud ſe ſcripturas noſſe et apoſtolicus
Eſt ait aut geropres 4) michi nemo aut bibliopola
Grande 5) p̃cul preciū eſt· et pariſ alma ſcola.

 Scribi

2) Per *idololatras*, auctor intelligit homines *paganos:* per *tinctos*, Chriſtianos, ſacro fonte tinctos; per *apellas*, Iudaeos. Ait ergo, Deum reſeruaſſe hanc artem typographicam his poſtremis temporibus, ut per hanc, antequam ueniat ad iudicium extremum, quaſi denuo uocaret omne genus hominum ad coeleſtem doctrinam amplectendam, uitamque aeternam conſequendam. Itaque inſcius, quaſi uates iam tum cecinit, typographiam amplificando ſacrorum emendatorum cultui non parum inſeruituram eſſe.

3) *Tranſeat allophilus.* Per *allophilos* intelligit homines *paganos* et *Iudaeos*, qui a religione Chriſtiana ſunt alieni, et quos Poeta oratione praeterit, ac quaſi a ſe dimittit, duntaxat hominis chriſtiani et apoſtolici excuſationem auditurus, cur in ignorantia uerſetur, librisque careat?

4) *Geropres.* Non dubitamus, quin auctor horum uerſuum, qui quandam Graecae linguae notitiam affectauit, hoc uocabulum ex ingenio ſuo effictum, e uocibus, γέρων, et πρέσβυς, quibus utrisque denotatur, *ſenex*, *antiquus*, compoſuerit, ut deſignaret *antiquarium*. *Antiquarii* enim, ſiue ἀρχαιογράφοι, dicebantur, qui uetuſtos libros reparabant, et deſcribebant.

5) *Grande procul pretium eſt, et Paris alma ſcola.* Ineptus poeta mire transponit haec uerba, cum dicere uoluerit, Clerum illius temporis ad excuſandam ſuam ignorantiam, cauſſari

Scribi ſcripturas diſponere ſi volo ſacras
Eſt labor. et falſos accomodare libroſ.
Si verū exemplar mendax tranſſertur in 6) *inſtar*
Vix male corrigitur. margo ſ inficitur.
Atramē 7) *ue labat membranís. líquitur.* 8) *elbet.* 9)
Sepe ꝛ cū precio ꝛ codice ſcriptor abit.
Fenore ſic multo curaꝝ ſiue laboꝝ
Grandíbus ímpenſis vix redimitur 10) *opus.*

Has

ſolere, ſibi non eſſe *antiquarium*, qui deſcribat ueteres libros, nec *bibliopolam*, qui eos uenales offerat; adhaec *grande pretium eſſe librorum*, et *procul abeſſe ſcholam*, ſiue Academiam *Pariſienſem*, unde Clerici eruditionem petere poſſent.

6) *In inſtar*. i. e. in nouum exemplum. Hoc dicere uoluit: Si uerum αὐτόγραφον, aut antiquus codex, uitioſe deſcribatur, et transferatur in nouum exemplar, aegre hoc corrigi poſſe, neque tum niſi marginem inquinari; utpote in quo plerumque reſcribebantur emendationes.

7) *Atramen*. Hoc uocabulum, pro *atramento* poſitum, praeter alia *Lexica antiqua*, ſeruauit *Balbi Catholicon*.

8) *Liquitur*. Obſolete dicitur, pro: *liqueſcit*, *diffluit*, *ſoluitur in liquorem*. BALBVS in *Catholico*: *Liquo*, *liquis*, *liquere*. i. e. *liquidum facere*, *decurrere*, *uel defluere*, *uel liquorem emittere*. Hac uoce uſus eſt LVCRETIVS, *libr.* IIII, *u.* 1236: *Liquitur extemplo*. Etiam PAPIAS, in Vocabulario: *Liquitur*, *defluit*, *manat*, *decurrit*.

9) *Elbet*. Verbum medii aeui, a uoce: *elbus*, *ba*, *bum*, ſiue *elbidus*, quam referunt antiqua Gloſſaria. u. g. BALBVS, in *Catholico*: *Elbum eſt color medius inter nigrum et album dictus*. *Vnde elboe*, *quaſi alboe*, *dicuntur uites*, *uel uuae*, *neque purpureae*, *neque nigrae*, *neque albae*: *quas quidem uarias appellant*. Eadem tradit PAPIAS; item GERHARDVS DE SCHVEREN. Imo et ISIDORVS, *Libr.* XVII *Origin cap.* V, *pag.* 1240: *Elbum*, inquit, *eſt inter nigrum candidumque colorem*. *Nam* elbum *nec album*, *nec nigrum*, *eſt*.

10) *Redimitur*. Poetaſter produxit penultimam ſyllabam, qua-

Has ob res libros clerus non coparat. imo
Tantís pertefus abſtínet incomodís.
Et ſic depaſcit 11) *paſtor dum paſcere neſcit*
Ductor ſeducit nomen habens reducis. 12)
Hinc erit ut 13) *populus ſic princeps ſicq̃ ſacerdos*
Quos ne fungantur pelle ſacerdotió.

III.] Excuſationis repulſio ⁊ artis impſſorie comēdatio.

Sed 14) *quid ages ergo. dū libros non redímendi*
Aut non díſcendi nulla ſubeſt ratio.

Cau-

ſi eſſet a uerbo *redimire*; cum ſit a *redimere*. Sed huiusmodi licentia poetica ſaepius gauiſus fuiſſe uidetur. Sic, *u.* 6 huius 11 *Carminis*, poſuit, *accomodare*, pro *accommodare*. Mox, *u.* 14, habet in fine pentametri, *incomodis*, pro *incommodis*. etc.

11) *Depaſcit paſtor.* Carpit Poeta rudes clericos, qui cum ceu Paſtores paſcere neſciant oues ſibi commiſſas, eas depaſcant potius, et deuorent. In antiquo Gloſſario, quod A. 1477 *Eltuilae* excuſum eſt, *depaſcere* redditur per Germanicum uerbum: *verbungern.*

12) *Reducis.* Auctor uſus alliteratione reprehendit rudem clericum, qui cum manu quaſi ducere deberet alios ad ueram dei cognitionem, eos magis ſeducat, nomen habens *reducis*, qui nempe cupiditate habendi ſatiari non poteſt, et ſaepe reuertitur ad captandas aliorum opes.

13) *Hinc erit ut populus*, &c. Structura uerborum huius uerſus ita eſt collocanda: *Hinc ut erit populus* (ſcilicet rudis,) *ſic erit et princeps ſicque ſacerdos.*

14) *Sed quid ages.* &c. In hoc carmine poeta refutat excuſationem clericorum in ignorantia uerſantium, et neceſſaria librorum copia carentium. Senſus huius diſtichi eſt: Sed quid ergo ages, reſpondebisque, dum nullam idoneam ra-

Digitized by Google

Cauſaris. Geropres tibi nemo aut biblíopola,
En venit hic venū codice farta penus.
Accuſas. nimis eſſe forū libri p̄cioſum
Nullus pro ſimili ſcríberet hunc p̄cio
Pauper es. et lodex 15) *tibi pulcra. vorās q̊ꝫ liber.*
Te ditet codex. nil comedenſq; liber.
Si nequeat vice paſtor paupere de ſtipe degens.
Comparet huc paſtor vellera lacq; legens.
Forte ſcola eſt paridis p̄cul. en gignaſticus 16) *heros*
Eiuſdem thomas doctor aquinus adeſt.
Quid p̄ce cū p̄ciū labor aut opus eſt comodanti
Redde'. cum danti ſufficiat precium.

Hic

---

tionem habeas, cur non emas comparesque libros, nec diſcas ea, quae ſcire debes. Poſthaec idem Poeta reſpondet ad ſingula excuſationis membra, in proximo carmine allata.

15) Mire auctori placere uidetur alluſio illa in uocibus *lodex*, et *codex*; item *liber*, quatenus notat filium, et quatenus notat *codicem*. *Lodex* ſcribit, propter alliterationem; cum ſcribere debuiſſet, *lodix*. *Lodix*, quamuis ſpeciatim ſignificet pannum lectulo ſuppoſitum; hoc tamen loco γενικῶς pro *ueſte* poni uidetur. Et *liber* notat filium, uel prolem, prout hoc ſingulari numero uſus eſt legislator, *l.* 33 *princ. Cod. de inoffic. teſtamento: Si quis ſuo teſtamento maximam quidem portionem libero relinquat*, etc. Hoc diſticho innuere uoluit poeta, homini pauperi ſatius eſſe, ditari et inſtrui codice, ac libro nil comedente, quam habere ueſtem pulchram, et liberos uoraces, aut alimentis indigos.

16) *Gignaſticus*. Ita inquinate ſcribitur, pro, *gymnaſticus*. *Gymnaſticus heros*, id eſt, princeps ſcholaſticorum, dicitur *Thomas de Aquino*.

Hic verum exemplar mendax non tranſit 17) *in inſtar.*
Mille valent vna ſtante caracterio.
Aſt atramentũ probat hoc non eſſe caducum
Cerotũue 18) *rapax aut cíneralis aqua.*
Quamlibꝫ in fluida carta nõ liquitur vnda
Tetra. neqꝫ atrior hac fallit in arte liquor.
Litera cõtínua et par libros grãma venuſtat.
Ex vno in cũctis eſſe memor pteris.
Ergo qđ obiíciant níchil amplius ẽ pater alme.
Quo minus addíſcant teqꝫ docenda tuos.

IIII.] Exhortatio ad comparandum libros.

Immenſi 19) *roboris qua tuta eſt vinea turris*
Cum propugnaculis principibuſue manet.

Sed

17) *Non tranſit in inſtar. Inſtar* hic ponitur pro exemplo, quod ab alio antiquiore codice deſcribitur: (*eine Copie.*) Senſus huius diſtichi eſt: In eiusmodi libro typis impreſſo, non ex *archetypo*, aut uetuſto bonoque codice uitioſum deſcribitur exemplar; ſed ex unis iisdemque characterum, ſiue typorum formis, quae diligenter correctae fuerunt, uel mille exemplaria eaque correcta excudi poſſunt.

18) *Cerotum.* In Colonienſi Gloſſario, A. 1477 impreſſo, *ceroma, et cerotum*, dicitur *eynreley ſalve van honich groeuen cruyde ind vvaſſ gemaect.* Videtur uero hoc loco denotari certum genus atramenti, quod forte a primis typographis tentatum, ſed parum utile deprehenſum eſt. *Cinerali aqua*, animaduertimus, ante inuentum atramentum typographicum, tinctas impreſſasque fuiſſe tabulas ligneas; in his enim libris atramentum admodum pallidum deprehenditur, quod facile potuit deleri. Obſeruabis autem, in his uerbis admiſſum eſſe ſoloecismum; cum auctor horum uerſuum ex ſtructura uerborum dicere debuiſſet, *aut cineralem aquam.*

19) *Roboris.* In uoce, *roboris*, et mox, *robuſti*, poeta uitioſe

Digitized by Google

Sed mille clipeos aut pendentes modo libros
Ad propugnacula noſtra videre ſtupor eſt.
Heu ſalomon vbi ſut̄ docti bellíſq; robuſti.
A quibus ambitur thalamus ille tuus.
Proch vbi peruigiles qui ut quondā femora cingāt
Enſibus. aut vbi ſunt et gladij ancipites
Excita palladíos ſalomon per cantica pſalmos
Vt ſumant almos paule iube gladios.
Hos inquā gladios iubet ad quos Xp̄us emēdos
Vt vendant vnam diſcipuli tunicam.
Hij ſunt ſcripture dívína volumína ſacre
Iuris et humani ecce duo gladij.
Heu venit illa dies nox imo venit. vbí ferri
Atq; ſimul verbi fiet opus gladijs.
Quilibet ergo ſuos emat atq; exercitet enſes
Hanc propter noctem quam prius adveniat.

V.] Pri-

corripuit ſyllabam primam. Sed taedet, reliqua omnia huius generis uitia annotare. Ceteroquin is in hoc carmine comparat libros cum clypeis et gladiis, quibus fortes heroes inſtructi cuſtodierunt et defenderunt Salomonem. Alludit etiam ad *Cantic. Cantic.* IIII, 4; item ad LVC XXII, 36 et 38, ubi *Chriſtus* ait: *uendat tunicam ſuam, et emat gladium.* etc. Huiusmodi gladios ait eſſe uolumina diuini humanique iuris, quae ſint tempeſtiue comparanda; cum aduenturum ſit tempus, ubi huiusmodi praeſidiis maxime opus ſit futurum.

Digitized by Google

V.] Primoꝝ artis magiſtroꝝ typus 20) et petri 21) praeconium.

Scema 22) *tabernaculi moiſes ſalomon q̊ʒ tēpli*
Haud preter ingennos perficiúnt dedalos.
Sic decus eccleſie maius. maior ſalomone
Iam renouans. renouat beſelebel et hijrā.

C *Hos*

20) *Typus*, notat hoc loco quaſi *praefigurationem.* Auctor enim in hoc carmine *primos artis typographicae magiſtros* comparat cum *Beſelebele*, et *Hiramo*, uelut *antitypos* cum *archetypis.*

21) *Petri:* nempe PETRI SCHOEFFERI *de Gernsheim.*

22) *Schema tabernaculi*, etc. Hoc uoluit his duobus diſtichis dicere auctor: Moſes, et Salomon, non potuerunt ſchema, id eſt, formam et ornatum atque exaedificationem tabernaculi et templi perficere ſine ingenuis, ſiue ingenioſis, *Daedalis*, ſiue artificibus. Sic *Chriſtus*, qui maior eſt Salomone, dum renouaturus eſt maius decus Eccleſiae, renouat etiam, ac denuo excitat, *Beſelehelem* quendam, et *Hiramum*, i. e. eximios artifices. *Beſelebel* enim, ſiue *Bezaleel*, et *Hiramus*, erant artifices Veteris Teſtamenti, a Deo ſingulari ſapientia inſtructi, ut hic *tabernaculum Moſis*, ille *templum Salomonis*, exſtruerent, et exornarent. De *Beſelebele* dicit Deus, EXOD. XXXI, 2: *Ecce, uocaui ex nomine Beſeleel, filium Vri, filii Hur, de tribu Iuda, et impleui eum Spiritu Dei, ſapientia et intelligentia, et ſcientia in omni opere, ad excogitandum, quidquid fabrefieri poteſt ex auro, et argento, et aere, marmore, et gemmis, et diuerſitate lignorum.* De *Hiramo*, II REGVM. VII, 13: *Miſit quoque Rex Salomon, et accerſiuit Hiram de Tyro, filium mulieris uiduae de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem aerarium, et plenum ſapientia, et intelligentia, et doctrina, ad faciendum omne opus ex aere.*

Hos dedít exímíos ſculpendi 23) *in arte magiſtros.*
Cui placet en mactos arte ſagire 24) *viros.*

Quos

23) *Sculpendi in arte.* Primi typographi dicuntur *eximii ſculpendi in arte magiſtri*; non quaſi ſolum typos e ligno ſculpſerint; ſed quia eosdem etiam ſculpſerunt ex aere. Scilicet ſic maxime ſculpebantur archetypi, (*poinſons, die Stempel,*) cum litera, quam formandam fundendamque ſibi propoſuit artifex, inſculpitur capiti ferri, aut chalybis oblongi; et deinde imprimitur cupro: unde exiſtit *modulus*, ſeu *matrix.* Ita uero et alii ueteres typographi *literas ſculptas* appellarunt, quas proprie dixeris *fuſas.* Sic legimus in fine FACETIARVM POGGII FLORENTINI: *Hoc opus exiguum* SCVLPSIT *Fridericus Creuſner ſua fabrili arte. Anno ab incarnatione* M. CCCC. *ſeptuageſimo ſeptimo*: cum tamen euidens ſit, id opus *typis fuſis* excuſum eſſe. Et in calce IOHANNIS NYDERI *Praeceptorii diuinae legis*: *Iohannis Nyder ſacre pagine egregii doctoris ordinis praedicatorum Conuentual. Nurenbergenſ. praeceptorii praeclariſſimum opus quodam digno admirationis modo, non pennis, ut priſci quidem, ſed literis ſculptis, artificiali certe conatu, ex ere, remota nempe indagine, ingeniique diuerſa inquietatione, illuſtre figuratum accurate denique correctum. Ac per diſcretum baccalarium, Iohannem Wienner, Auguſte impreſſum. Anno Domini* M. CCCC. LXXIX. *fol.* Sic quoque poeta noſter paullo inferius *Petrum Schoefferum* uocat *ſculpendi lege ſagitum.*

24) *Sagire.* Eſt uerbum medii aeui, forte obſoletum; quod in *Balbi Catholico*, aliisque illorum temporum Gloſſariis, redditur, *ingenioſe et ſapienter agere*, item *diuinare, uernunftliken doen.* Fortaſſe hoc loco ſignificat *ſagacem ſapientemque reddere*; quod notauit quondam Theologus Baſileenſis omni doctrinae genere praeſtantiſſimus, IAC. CHRISTOPH. ISELIVS, T. I Reu. SCHELHORNII *Amoenitat. Hiſt. eccleſ.* p. 945.

Quos genuit ambos urbs mogutina Iohanes 25)
Librorũ inſignes protbocaragmaticos. 26)
Cũ quibus optatũ petrus 27) *uenit ad poliandrum* 28)
Curſu poſterior introeundo prior.

C 2 *Quip-*

25) *Iobannes.* nempe *Iobannem Gutembergium*, et *Iobannem Fauſtum.*

26) *Protocaragmaticos.* i. e. Prototypographos, ſiue primos typographos. *Characterizare* iſtis temporibus ſaepe notabat idem, quod, libros typis imprimere.

27) *Petrus.* nempe *Petrus Schoeffer de Gernsbeim.*

28) *Ad poliandrum.* Bene uiderat ISELIVS, hoc ibi non eſſe nomen proprium alicuius uiri, ſed corruptum uocabulum Graecum, *πολυάνδριον*, per quod alias ſignificetur *ſepulcrum*, ſiue locus ſepulturae deſtinatus, quo multorum uirorum corpora deferuntur. *a*) At non ſatis bene coniecerat, per iſtam uocem hoc loco denotari *ſocietatem*, ſiue *collegium*; quaſi Poetaſter dixerit: *Venit Petrus ad ſodales, iam ante ſtudio nouae artis iunctos, ad geminos iſtos Iobannes Moguntinos.* Etenim id uocabulum potius hic retinet uulgarem *ſepulcri* notionem; quamuis non negemus, *τὸ πολυάνδριον* etiam de *multitudine bominum* dici. Scilicet auctor horum uerſuum alludit ad nomina apoſtolorum, PETRI et IOHANNIS, et ad hiſtoriam CHRISTI e mortuis reſuſcitati, atque e ſepulcro reſurgentis. Nimirum, in *Euangelio Iobannis*, XX, 3, ſeqq. haec legimus: *Exiit ergo* PETRVS, *et ille alius diſcipulus*, [IOHANNES] *uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul: et ille alius diſcipulus praecucurrit citius* PETRO, *et uenit primus ad monumentum, ſiue ſepulcrum. Et quum ſe inclinaſſet, uidit poſita linteamina, non tamen intrauit. Venit ergo Simon* PETRVS, *ſequens eum, et introiuit in monumentum, et uidit linteami-*

a) Hanc notionem expreſſit etiam celebris ille quondam Theologus Reformatae religionis, et Profeſſor Academiae Lugdunenſis Batauorum, A. 1646 defunctus, *Iobannes a Kercbouen*, qui cognomen ſuum hac quoquo uoce Graeca reddidit, ſeque ſcripſit *Iobannem Polyandrum.*

Quippe quibus p̄ſtat ſculpendi lege ſagitus 29)
A ſolo dante lumen et ingenium.
Natio queq; ſuum poterit reperire caragma
Secum. nempe ſtilo p̄minet omnigeno:
Credē 30) *dificile eſt doctores quam precioſa*
Pendat mercede ſcripta recorrigere.

Ortho-

---

na poſita. etc. Quemadmodum ergo IOHANNES, diſcipulus CHRISTI, praecucurrerat quidem, et citius PETRO uenerat ad ſepulcrum, non tamen illud intrauerat; PETRVS autem, quantumuis poſterior curſu, prior tamen in ſepulcrum introierat: ita uerſificator noſter dicere uoluit, IOHANNEM quoque *Outembergium*, et IOHANNEM *Fauſtum*, praeueniſſe quidem alios quosque inuenta typographia; PETRVM tamen *Schoefferum*, quamuis poſterior ad huius artis tractationem acceſſerit, in adyta tamen eiusdem artis priorem intraſſe; dum eam, a duobus IOHANNIBVS inuentam, magis expoliuerit, perfeceritque; maxime cum ſculpendorum, ſiue fundendorum, typorum ſcientia et dexteritate illis duobus primis magiſtris praeſtiterit. Haec uera eſt huius loci ſententia.

29) *Sagitus*, id eſt, ſapiens redditus, a ſolo illo, qui hominibus lumen dat, et ingenium.

30) *Credere difficile eſt*, etc. Senſus huius diſtichi eſt: Dici uix poteſt, quanta et quam pretioſa conſtet opera atque mercede, uiros doctos corrigere ſcripta. Quia nempe iſto tempore ἀμέσως ex antiquis Codicibus MSS. typis exprimebant libros, iſti autem Codices plerumque admodum mendoſe ſcripti fuerant; hinc opus erat, ut antea uiri docti eiusmodi Codices MSS. recognoſcerent, et cum aliis Codicibus diligenter conferrent, atque non tantum librariorum, ſed et deinde typothetarum, errata corrigerent, emendarentque.

Orthoſintheticū 31) *cuius ſintagma per orbem*
Fulget Franciſcū pſto magiſtrum habet.
Me 32) *q̊ coniunxit illi non vile tragema* 33)
Publica ſed comoda et terrigenum columen.

C 3 *O vtinam*

---

31) *Orthoſyntheticum*, etc. In hoc diſticho, ni uehementer fallimur, hoc uoluit dicere auctor horum uerſuum: *Is* ſcilicet alter *Petrus Schoeffer de Gernsheim*, *cuius ſyntagma orthoſyntheticum*, *id eſt*, *typographia*, *per* totum *orbem fulget*, atque celebratur, *praeſto habet Magiſtrum Franciſcum*; qui nempe non tantum ueteres codices, ſed etiam primas typographorum plagulas, recognoſcat, atque emendet; nam de correctione librorum proxime dixerat. Per uocabulum, σύνταγμα, quod mox eadem notione repetit, ſine dubio auctor deſignat *typographiam*. Nomen enim *typographiae* tunc nondum de arte librorum typis excudendorum in uſum uulgarem intromiſſum erat. Vtrum uero uox, *orthoſyntheticum*, ad nomen appellatiuum, *ſyntagma*; an ad nomen proprium, *Franciſcum*, tanquam correctorem, ſit referenda? fere haeſitamus; propterea quod utrobique locum habere poſſe uidetur. Quis uero fuerit hic *M. Franciſcus*, ſcimus cum ignariſſimis. Si *uitae eruditorum Moguntinenſium* in lucem prodiiſſent, quas promiſerat b. IOHANNIS, qui edidit *Scriptores rerum Moguntiacarum*, huius *Franciſci* fortaſſe ampliorem notitiam habituri fuiſſemus.

32) *Me quoque coniunxit illi*. In editione Inſtitutionum Iuris A. 1468, pro uerbo, *coniunxit*, legitur, *deuinxit*. Dubites, utrum pronomen, *illi*, referas ad *Petrum Schoefferum*, cuius *ſyntagma*, ſiue *typographia per orbem fulgere*, paullo ante dicebatur; an ad *Franciſcum*, cuius mentio proxime facta eſt?

33) *Tragema*. Graece, τράγημα; quae uox notat id, quod in menſa ſecunda ad comedendum apponi ſolet. Quibus uerſibus poeta non ſine quadam iactantia indicare uoluit, ſe non tenuis uictus quaeſtusque, ſed publicae utilitatis et

O vtinam exſcobē falſis moliantur ideam 34)
Qui ſintagma regunt et prothocaragma legūt.
Aureola indubie pmiaret eos logothece 35)
Quippe libris cathedras mille ſuberudiūt.

* * *

VI] *Eſtimo nec ſcriptas decretales* 36) *neq̨ pſſas*
Conferri noſtris. in tribꝫ eximijs.

In

ſalutis cauſſa, officinae typographicae *Schoefferi* operam nauare. *Terrigenum columen* dicitur hominum incolumitas et ſalus, aut emolumentum.

34) *Ideam.* Per *ideam*, deſignari putamus exemplar libri typis exprimendum. Optat nimirum poeta, ut et ii, qui *ſyntagma regunt*. h. e. qui typographiam tractant; et ii, qui *protocharagma legunt*. h. e. qui recognoſcunt ac corrigunt ἀρχίτυπον, ſiue MS. *moliantur ideam exſcobere falſis*. id eſt, nitantur exemplar purgare mendis, ac quaſi *ſcobem inde excutere.*

35) *Logothece.* Hoc nomen auctor ex ingenio finxit; ſiue in mente habuerit uocabulum, λογοθέτης. i. e. *magiſter rationum*, qui rationes poſcit et exigit; ſiue id compoſuerit ex uocibus λόγος, *ratio*, et δίκη, *iudicium*, *iuſtitia*; unde et δικολογία dicitur *diſceptatio de iure.* Vtcunque eſt, poeta uidetur hac uoce deſignare *iuſtitiam diuinam*; quae uti generatim *bonos* et *malos homines*, pro ſuis quosque meritis; ita etiam bonos ſedulosque typographos, et correctores, aliquando ſit remuneratura, et *aureola*. ſiue corona coeleſti, ornatura: propterea, quod ad multorum eruditionem non parum conferant. Alludere enim uidetur ad illud DANIELIS, *cap.* XII, 3: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; et qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellae, in perpetuas aeternitates.*

36) *Decretales.* Non operae pretium eſt, hoc ultimum carmen, quod in fine uoluminis *decretalium* typis miniatis eſt

In folijs ſpaciū cunctis eſt marginis equum
Codicis hoc primum fulget ab arte decus.
Quere' te textuí diſtantem crebro fatigat
Gloſam. hic foliū vertere non opus eſt.
Te cito certificant monſtrantia gramata gloſam
Correctuſq; liber perficiet docilem.

VI.

OBSERVATIONES QVAEDAM AD CARMINA PRAECEDENTIA.

OBSERVAT. I. Ex his carminibus, quantumuis admodum impolitis, potiſſimum commendamus, et commemoratione dignum exiſtimamus, *quinctum*, cuius initium eſt: *Schema tabernaculi*, etc. utpote in quo primis typographiae inuentoribus egregium perhibetur teſtimonium; idque *quinctum carmen* iam antea, d. 24 Maii A. 1468, et d. 20 Octobr. A. 1472, calci *Inſtitutionum iuris.* in PETRI SCHOEFFERI officina typographica excuſarum, adiectum fuiſſe, iam *in Exercit.* II, *pag.* 24, et 32, indicauimus. Hoc autem teſtimonium tanto maioris aeſtimandum cenſemus, cum demum proxime poſt mortem primorum typographiae auctorum, nempe IOHANNIS GVTEMBERGII,

expreſſum, pluribus explicare. Poeta nimirum non niſi tria uolumina *Iuris Canonici*, in officina *Schoefferi* typis impreſſa, prae aliis omnibus editionibus, ſiue manu ſcriptis, ſiue typorum ope expreſſis, ideo laudat commendatque, quod in omnibus foliis aequale ſit ſpatium marginis; et quod gloſſae, ſuo quaeque folio accurate ſint additae, neque in alteram paginam reiectae; denique quod totus liber diligenter correctus prodierit.

Digitized by Google

BERGII, IOHANNIS FAVSTI, et PETRI SCHOEFFERI *de Gernsheim, Clerici quondam dioeceſeos Moguntinae*, eſt euulgatum; ubi tanto minor ſuſpicio uel aſſentationis, uel uanae cuiusdam iactantiae, nobis afferri poteſt; et ubi liuor inimicitiae, ſi quis e diſſidio inter ſocios ortus erat, iam poſt fata coeperat quieſcere.

OBSERVAT. II. Diſerte autem duo IOHANNES, quos tulerit Moguntia, dicuntur *protocharagmatici*, id eſt, primi typographi, aut, prout titulus huius carminis habet, *primi artis* typographicae *magiſtri*. Iam autem Moguntia, quod iam ſupra diximus, non habuit protulitque alios priores antiquioresque typographos, quam IOHANNEM *Gutembergium*, et IOHANNEM *Fauſtum*.

OBSERVAT. III. De utroque, GVTEMBERGIO et FAVSTO, iam in *prima et altera exercitatione* non pauca expoſuimus. Hoc loco clariſſimum notamus indicium, IOHANNEM GVTEMBERGIVM non *Argentinam*, quod plurimi, ueteres pariter atque recentiores, ſcriptores tradidere, ſed *Moguntiam*, habuiſſe patriam: quamuis antehac aliquamdiu commoratus fuerit *Argentinae*; unde uulgari opinioni diſſeminandae data eſt occaſio. Documenta uero omni exceptione maiora ſeruat ipſa Argentina, quae id, quod diximus, luculentiſſime comprobant. Scilicet, in *Libro Salico Eccleſiae Thomanae Argentinenſium, B fol.* 293, *a*; et *fol.* 302, *b*, extant duae tabulae pactorum emtionis et uenditionis: una A. CIↃ CCCC XLI, VIII Kal. Aprilis; altera A. CIↃ CCCC XLII, XV Kal. Decembris, datae, in quibus haec uerba leguntur: IOANNES, *dictus* GENSEFLEISCH, *alias nuncupatus* GVTEMBERG *de Maguncia*, *Argentinae commorans*. Vide Cl. SCHELHORNIVM, *Amoenit. liter. T. IIII, pag.* 303; item, *le Pere la* GVILLE, *Hiſt. d' Alſace, pag.* 334, citante MARCHANDO, l. c. *pag.* 5. Eat igitur IAC. VVIMPHELINGIVS, (in *Catalo-*

talogo Epiſcoporum Argentinenſium, et ſigillatim in *deſcriptione uitae Roberti*, *Epiſcopi Argentinenſis*,) et ex uno homine fingat duos, cum haec ſcripſit: *Sub hoc Roberto nobilis ars impreſſoria inuenta fuit, a quodam Argentinenſi, licet incomplete. Sed is cum Moguntiam deſcenderet, ad alios quosdam in hac arte laborantes, ductu cuiusdam* GENSFLEISCH, *ex ſenio caeci, in domo Bonimontis*, GVTENBERG, (*in qua hodie eſt collegium Iuriſtarum*,) *ea ars completa fuit, et in laudem Germanorum ſempiternam.* Eant, IACOB. MENTELIVS, in *Paraeneſi*, *pag.* 7; itemque ADAM. SCHRAGIVS, in *Hiſtoria Typographiae*, *cap.* VI, et fidem habeant *Chronicis* quibusdam *Argentinenſibus*, quorum auctores, ad fabulam exornandam, ſimiliter ex uno homine effinxere duos, retuleruntque, IOHANNEM GENSEFLEISCHIVM, Moguntinum, fuiſſe famulum, imo famulum nequam et perfidum, IOHANNIS MENTELII, et cum IOHANNE GVTEMBERGIO, populari ſuo, pinguis cenſus homine, ac uitae forte aurifice, communicaſſe ſecreta artis typographicae, quae ab hero ſuo fuerit expiſcatus; tandem uero uiuum adhuc, et ſenem, a Deo, ex iuſto iudicio, excaecatum, luiſſe perfidiam, qua herum ſuum, IOHANNEM MENTELIVM, deceperit. Eat denique et PETRVS SCRIVERIVS, (in *Laurea Laurentii Coſteri*, *pag.* 62,) ac ſuſpicetur, IOHANNEM GVTEMBERGIVM illum eſſe, qui, inſtrumentis typographicis aſtu conuaſatis, ab hero ſuo, *Ians. Coſtero*, profugerit, et artem in Germania aliis obtulerit, uendideritque.

OBSERVAT. IIII. Quid GVTEMBERGIVS, et FAVSTVS, generatim contulerint ad artem typographiae producendam, iam ex *Inſtrumento publico*, *obſeru.* V, in *Exercitatione* I, *pag.* 18, oſtendimus. Quid uero ad maiorem eiusdem artis perfectionem ſigillatim contribuerit PETRVS SCHOEFFERVS *de Gernsheim*, id innuit auctor carminis, in his uerſiculis:

Cum quibus [Gutembergio et Fauſto] *optatum* PETRVS [Schoeffer] *uenit ad poliandrum,*
Curſu poſterior; introeundo prior.
Quippe quibus praeſtat ſculpendi lege ſagitus
A ſolo dante lumen et ingenium.

Quorum uerborum ſenſum iam ſupra, in *notis* ad haec carmina, explicauimus. Id nempe indicat auctor: etſi *duo Iohannes Moguntini* iam antea inuenerint modum librorum typis imprimendorum; PETRVM tamen SCHOEFFERVM in interiora huius artificii adyta priorem introiiſſe; propterea, quod hic GVTEMBERGIVM et FAVSTVM *praeſtiterit* arte *ſculpendorum typorum*. Verbum autem, *ſculpere*, tunc non ſolum de formandis *ligneis*, ſed et de *metallicis fuſilibusque typis*, uſurpari conſueuiſſe, iam ante monuimus. Itaque MALLINKROTIVS, *cap.* XI, *pag.* 80, nihil dubitauit affirmare, *certe matrices, quae fundendis typis ſeruiunt, a* SCHOEFFERO *eſſe excogitatas*. Cui ſententiae plane concinit BERGELLANVS, in *Poemate encomiaſtico de calcographiae inuentione, uerſ.* 125, ſeqq.

Illis [Gutembergio et Fauſto] *ſuccurrit* PETRVS, *cognomine* SCHOEFFER,
Quo vix caelando promtior alter erat.
Ille ſagax animi praeclara toreumata finxit,
Quae ſanxit matris nomine poſteritas.
Et primus uocum fundebat in aere figuras,
Innumeris cogi quae potuere modis.

Sed nos fere nobis religioni ducimus, omnem inuentionem typorum, ex metallo fuſilium, alterutri, aut utrique primorum artis typographicae magiſtrorum, GVTEMBERGIO ſcilicet, ac FAVSTO, ſimpliciter denegare, atque unice adſcribere PETRO SCHOEFFERO. Quodſi auctor carminum a nobis propoſitorum, tanquam homo iſtis temporibus aequa-

aequalis, et in prima Moguntinorum officina uerſatus, euidentius planiusque locutus eſſet, facile rem confectam haberemus. Interim ille nobis tradit, PETRVM SCHOEFFERVM arte ſculpendorum typorum duntaxat *praeſtitiſſe* GVTEMBERGIO ac SCHOEFFERO, hoc eſt, ingenioſiorem iis atque artificioſiorem fuiſſe. Quidquid adeo perfectionis huius artis adſcribendum eſt PETRO SCHOEFFERO; putamus interim, nos ei non iniuriam facturos eſſe, ſi credamus, cum ipſum ſaltem aptiorem materiam, et faciliorem modum typorum e metallis mixtis fundendorum, inueniſſe; nec minus tamen ſic quoque de arte typographica optime meritum eſſe, primisque artis typographicae magiſtris iure meritoque aſſociari.

OBSERVAT. V. Sicuti uero, in *Exercitatione* II, *pag.* 19 et 52, demonſtrare conati ſumus, duos fuiſſe PETROS SCHOEFFEROS *de Gernsheim*, alterum *Clericum dioeceſeos Moguntinae*; alterum, *puerum*, et deinde ſocium ac generum IOHANNIS FAVSTI; ita, quod modo de inuentione typorum fuſilium diximus, id ad clericum et ſeniorem, non ad laicum et iuniorem SCHOEFFERVM, referimus. Antequam enim SCHOEFFERI *pueri* mentio facta eſt in calce *Officiorum Ciceronis* A. 1465 et 1466 impreſſorum; iam libri iisdem typis fuſis impreſſi, u. g. in *Durandi Rationali officiorum diuinorum*, A. 1459, et aliquantum maioribus typis fuſis, in *Bibliis Latinis* A. 1462, aliisque, prodierant in lucem; cuiusmodi typis deinde perquam diu etiam in aliis libris excudendis uſus eſt PETRVS SCHOEFFERVS, iunior; ut adeo non uideamus, quid hic noui eximie praeſtiterit in arte typographica. Ac, ſi idem hic SCHOEFFERVS, qui ſucceſſit IO. FAVSTO, eiusque officinam circiter ab A. 1468 ad A. 1492 continuauit, eiusdemque filiam, *Chriſtinam*, domum duxit, tam praeclarae inuentionis, in

Digitized by Google

qua uelut faſtigium artis typographicae conſiſtit, ſibi fuiſſet conſcius; mirum ſane eſſet, eum hanc gloriam non ſibi apertius uindicaſſe. Imo et mirum eſſet, cur deinde eius filius IOHANNES SCHOEFFERVS, itidem typographus Moguntinus, non id egiſſet, ut in priuilegio diui Imperatoris, MAXIMILIANI I, quod ad Liuium imprimendum A. 1518 obtinuerat, aeque Patri ſuo tam glorioſum meritum, ac generatim inuentio typographiae Auo ſuo materno, IOHANNI FAVSTO, adſcriberetur. Ibi enim haec legimus: *Cum, ſicut docti et moniti ſumus, fide dignorum teſtimonio, ingenioſum calcographiae, autore Auo tuo, inuentum felicibus incrementis in uniuerſum orbem dimanauerit*, etc. Et, cum in epiſtola eidem Liuio adiecta, *Nicolaus Carbachius*, in gratiam IOHANNIS SCHOEFFERI ſcripſerit: IOHANNES SCHOEFFER, *calcographus, a cuius auo calcographe in hac primum urbe inuenta exercitaque eſt*; non uidemus, cur idem *Carbachius*, ſi IOHANNIS SCHOEFFERI Pater, PETRVS SCHOEFFERVS, fuiſſet inuentor typorum fuſilium, non id quoque tetigiſſet, atque, ob tam egregium inuentum, ſimul meminiſſet huius PETRI SCHOEFFERI? Quamquam uero auctor ſubſcriptionis, in *Trithemii Breuiario hiſtoriarum*, A. 1515 impreſſo, tribuat huic PETRO SCHOEFFERO laudem *multarum neceſſariarum adinuentionum*; nihil tamen ſigillatim de inuentione typorum metallicorum indicat; atque, uti in IOHANNEM GVTEMBERGIVM, ita et in PETRVM SCHOEFFERVM, Clericum, iniquus fuiſſe cenſendus eſt, cum utriusque nomen, et merita, prorſus ſilentio inuoluerit.

OBSERVAT. VI. Bene dixit poeta noſter, *uerſu* 13 *Carminis* V, *nationem quamcunque poſſe nunc reperire*, et imprimere, *ſuos characteres*. Certe enim, poſt inuentam typographiam, nulla facile natio indicari poteſt, cuius

lin-

linguae characteres typique non etiam e metallo fundi, et chartis membranisque potuerint imprimi; quamuis non ipſae nationes omnes receperint ueram typographiam; et quamquam, praeter Latinos Germanicosque libros, nullus Graecus Hebraicusque in officina Fauſtina, et Schoefferiana, typis excuſus, nobis occurrerit. Pauca enim uocabula Graeca, u. g. *Paradoxis Ciceronis* inſerta, non niſi corrupta, et ſatis informia, conſpiciuntur. Primus liber Graecus nobis obſeruatus eſt, LASCARIS *Grammatica Graeca, ex recognitione Demetrii Cretis, Mediolani*, A. 1476, *d.* 30 *Ianuarii, per Dionyſium Parauiſinum* impreſſa, *in* 4. Eslingae, in Sueuia, primum *typis Hebraicis* utendi periculum factum eſſe, b. IO. CHRISTOPH. VVOLFIVS, cuius obitu magnum rei ſacrae et literariae ornamentum ereptum eſt, obſeruauit, *Volum.* IIII *Bibliothecae Hebraeae, pag.* 450; cum in *Tractatu Petri Nigri contra perfidos Iudaeos de conditionibus ueri Meſſiae* exarato, et Eslingae, A. 1475, *in* 4, edito, quaedam uoces Hebraicis literis, ſic ſatis luculentis, fuerint expreſſae. Integrum uero librum Hebraicum, *Arba Turim*, Plebiſacii, uico Patauinae ditionis, primum impreſſum eſſe, *Vol.* III, *pag.* 444, demonſtrauit. Deinde, *Vol.* IIII, *pag.* 450, oſtendit, omnino uerisimile eſſe, Iudaeos, ortu Germanos, artis huius rationes et uſum in Hebraicis libris excudendis ſecum e Germania in Italiam aſportaſſe: quoniam ipſi *Iudai Soncinates*, qui nempe *Soncinum, Ducatus Mediolanenſis* opidum, incoluerunt, et uel primi, uel primis proximi, in Italia experimentum typographiae Hebraicae fecerunt, genus ſuum ad Iudaeum Germanum, *Moſen* ſcilicet *Spirenſem*, retulerint; ac quoniam in editione codicis *Berachoth*, Soncini A. 1484 curata, appellatus ſit *Gabriel Aaron, Argentoratenſis*. De aliarum nationum lin-

 guis,

Digitized by Google

guis, in uſum typographiae deductis, hoc loco diſſerere, non eſt noſtri inſtituti.

OBSERVAT. VII. Quod denique attinet ad auctorem eorum carminum, in quibus illuſtrandis hactenus poſuimus operam, fatemur, nos de eo nihil certi poſſe afferre; niſi quod coniiciamus, eum ipſum in officina Schoefferiana partes *Correctoris* obiiſſe. ISELIVS, in notis ad hoc carmen, in uiri perreuerendi, SCHELHORNII, *Amoenit. Hiſtor. eccleſ. et liter. T. I, pag.* 951, de hoc auctore iſta commentatur: *Nihil ad hunc auctorem deſignandum occurrit, niſi forte Italiciſmi illi, ſagire, et ſagitus* [addo, *Scola, Scema, comodum, accomodare,*] *argumentum praebent, fuiſſe* ITALVM; *cui coniecturae fauere non nihil uidetur iactatio atque oſtentatio ſermonis Graeculi; ut quo uix tum Germanorum quiſquam uel leuiſſime tinctus erat; cum noſtro homini non quidem certe uera Graeciſmi indoles atque puritas, a qua procul omnino abfuiſſe intelligitur, uerum tamen copia quaedam uocabulorum, et non nulla, licet rudis, Graecanicae compoſitionis ratio, in promtu fuerit.* Agedum ergo, ſi qui fuerint Itali, qui cupiant *Pamphilium* ſuum *Caſtaldi*, poetam, (de quo ſupra, *pag.* 4, diximus,) in prima typographorum Moguntinenſium officina inuenire; eius ueſtigia quaedam in his carminibus deprehendent. At enimuero non eum ibi cognoſcent, tanquam artis typographicae repertorem, qui artem a ſe inuentam communicarit cum GVTEMBERGIO et FAVSTO; utpote quos ipſe primos artis huius magiſtros agnouit, praedicauitque: ſed tanquam *correctorem*, aut qualemcunque miniſtrum, qui, quidquid huius artis nouit, ſine dubio didicerat ex heris ſuis. Quod ſi enim ſuo ingenio excogitaſſet hoc artificium; cur eam non prius cum popularibus ſuis, quam cum exteris, communicaſſet? cur

non

non ipſe potius primam inſtituiſſet moderatusque eſſet officinam, quam in aliena duntaxat miniſtri partes ſuſtinuiſſet? Et cur non, cum haec condidit carmina, tam commoda uſus occaſione, meriti ſui memoriam, aut indicium quoddam, ad poſteritatem transmiſiſſet? Quisquis uero auctor horum carminum, admodum incomtorum uitioſiorumque, fuerit, etſi uile poenitendumque dedit facultatis poeticae ſpecimen; ei tamen adhuc, poſt eius quoque cineres, magnas habemus gratias, quod de primis artis typographicae auctoribus monimentum tam eximium nobis reliquit.

VII.

Ne uero ſolis domeſticis Moguntinorum teſtimoniis niti uideamur; quamquam iſta, in hac cauſſa, et his quidem *circumſtantiis*, maximum omnino momentum habeant, neque quidquam magis optandum eſſet, quam ut ex *archiuis Moguntinis* plura adhuc producerentur documenta, niſi ea forte diſſiparint perdiderintque turbae inteſtinae, quae, anno 1462, ciuitatem iſtam afflixere: nunc adhuc alios quosdam producemus teſtes, qui, cum et inuidiae, et odii, et aemulationis, aut ſingularis fauoris, ſtudiique, cauſſas procul habuiſſe, neque ab iſtis rebus geſtis nimio locorum temporumque interuallo diſiuncti fuiſſe, uideantur, ſatis idoneo firmoque teſtimonio cauſſam Moguntinenſium communire poterunt.

TESTIMONIVM AVCTORIS FASCICVLI TEMPORVM, COLONIAE PER HENRICVM QVENTEL, CVM A. cIↃ CCCC LXXVIIII, TVM A. CIↃ CCCC LXXXI, IMPRESSI:

A. 1457 *et anno praecedente fuit maximus terrae motus in Neapoli, et perierunt multi.* 40 *milia. Artifi-*

tifices mira celeritate ſubtiliores ſolito fiunt. Et impreſſores librorum multiplicantur in terra, ortum ſuae artis habentes in Maguntia.

EX EODEM FASCICVLO TEMPORVM, CVM A. M.CCCC. LXXXVII; TVM A. M. CCCC. LXXXVIII; ARGENTORATI PER IOHANNEM PRYS IMPRESSO:

Anno M CCCCLVII. *Et anno praecedente fuit maximus terrae motus in Neapoli, et perierunt* XL *mill. hominum. Librorum impreſſionis ſcientia ſubtiliſſima omnibus ſeculis inaudita circa haec tempora reperitur in urbe Maguntina. Haec eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum, per cuius celeritatis exercitationem theſaurus deſiderabilis ſapientiae, quem omnes homines per inſtinctum naturae deſiderant. quaſi de profundis latibularum proſiliens. mundum in maligno poſitum ditat pariter et illuminat. Virtus enim infinita librorum que quondam Athenis uel Pariſiis ceterisque ſtudiis, ſiue bibliothecis ſacris, pauciſſimis quibusdam ſtudioſis manifeſta fuit: per hanc in omni tribu. populo. natione. et lingua ubique diuulgatur, ita, ut ueriſſime impletum cernamus illud, quod dicitur Prouerb. I: Sapientia foris praedicat; in plateis dat uocem ſuam: In capite turbarum clamitat. in foribus portarum urbis, profert uerba ſua, dicens: usque quo paruuli diligitur infantia? etc. Quamuis uero porcos ſpernere margaritas ſciamus; nihil in hoc prudentis laeditur opinio, quo minus oblatas comparet margaritas.*

TESTI-

Digitized by Google

TESTIMONIVM IOANNIS NAVCLERI, QVI A. cIↄ ccccLX FVIT PRAEPOSITVS ECCLESIAE COLLEGIATAE APVD STVDGARDIENSES, etc.

E CHRONOGRAPH. GENERAT. XLVIIII, ad A. cIↄ ccccXL:

Circa annum domini 1440, FRIDERICO III *regnante, ars impreſſoria excudendorum librorum ſtanneis formulis apud Moguntiam Germaniae ciuitatem primum coepit: quod inuentum, neſcio, an unum ſupra reliquas nationes ingenium Germanicum, uel elegantia ſua, uel utilitate, efferat. Tot extant hodie trium principalium linguarum autores, tot fidei chriſtianae monumenta, tot inſtaurati huius inuenti gratia libri, ut plane diuinitus datum munus reipublicae crediderim. Debent Germaniae literae, debent autores boni, quibus hoc opere immortalitas eſt parta. Quamobrem Philippus Beroaldus, et egregie doctus homo, et Germaniae praecipue ſtudioſus, in illius laudem ait:*

O Germania, muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit uetuſtas;
Libros ſcribere quae doces premendo!

Sed fato Germanicis ingeniis datum putarim, ut in aere tractando noſtri inprimis excellant, quod cum multis aliis patet, tum hoc praeſertim impreſſarum formularum ſtanno, ac alio inuento, bombarda ſcilicet, (bellici tormenti genus eſt hoc, a ſono ſic appellatum,) tale id eſt, ut ſat magna nihil amplius mirari ſoleamus. etc.

Digitized by Google

TESTIMONIVM FELICIS FABRI, QVI VLMAE INCLARVIT IN PRAEDICATORVM MONASTERIO, ANNO CIRCITER cIↄ cccc lxxx;

E CAP. VIII LIBR. I HISTOR. SVEVORVM:

Anno Domini M. CCCC. LIX. *ars imprimendi libros in Germania primum enata eſt a quodam de Moguncia, in eadem urbe. qua arte nulla in mundo dignior, nulla laudabilior, nulla utilior, ſiue diuinior et ſanctior, eſſe potuit. In cuius quidem laudem quidam hos cecinit uerſus:*

O felix noſtris memoranda impreſſio ſeclis,
  Inuentore nitet utraque lingua tuo.
Deſierat quondam, totum quod fundis in orbem,
  Nunc paruo doctus quilibet eſſe poteſt.
Omnes te ſummis igitur nunc laudibus ornent,
  Te duce quando ars haec mira reperta fuit.

Cum hac diuina arte etiam uſuales ſunt melioratae, ut fabrilis in omni metallo, in omni ligno, et in omni materia, in quibus Theutonici adeo induſtrii ſunt, ut per orbem fulgeant eorum labores. Vnde, ſi quod opus praecipuum quis fieri uult in metallo, lapide, ligno, ad Germanos mittit, quibus DEVS aeuo noſtro — —. Vidi ego aurifabros, gemmarios, latomos, et carpentarios, Theutonicos, inter Saracenos mira facientes, et inter Graecos atque Italos artibus praecellentes.

VIII.
OBSERVATIONES QVAEDAM AD PRAECEDENTIA TESTIMONIA.

OBSERVAT. I. Haec quidem teſtimonia, quae modo recenſuimus, (nam plura eius generis referre, nihil nunc

Digitized by Google

nunc opus eſt,) haud tanquam primaria documenta de origine typographiae, primariis tamen proxima, iisque apprime, nec ſine pondere quodam, conuenientia, eſſe cenſemus. Vt autem eo magis liqueat, quae auctoritas horum teſtium in hoc argumento eſſe poſſit, de ſingulis quaedam annotabimus. Quod primum ad FASCICVLVM TEMPORVM attinet, is ſaepius ſaeculo XV ſine auctoris nomine typis impreſſus eſt: uerum tamen eius auctorem nobis indicat TRITHEMIVS, *de uiris Germaniae illuſtribus*, *pag.* 270. VVERNERVS, inquit, ROLEVINCK DE LAER, *patria VVeſtphalus, ex dioeceſi Monaſterienſi oriundus, monachus ordinis Carthuſienſis, domus ſanctae Barbarae in Colonia Agrippina, uir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus, et ualde eruditus, ingenio ſubtilis, uita et conuerſatione deuotus. Scripſit multa praeterea uolumina.* etc. Quae opera dum recenſet TRITHEMIVS, inter haec nominatim etiam deſignat *Faſciculum temporum cum circulis ab exordio mundi usque ad tempora Sixti Papae quarti.* Quam recenſionem his uerbis finit TRITHEMIVS: *Haec ſunt, quae ſe ſcripſiſſe mihi nuper confeſſus eſt, anno aetatis ſuae* 70, *conuerſionis uero* 48, *cum in eius cella eſſem, ſub Maximiliano Imp. et Alexandro Papa ſexto, anno Dom.* 1495, *ſexto Idus Maii.* Alii annotarunt, hunc *Roluinckium* A. C. 1502, aetatis 77, obiiſſe. Ergo neceſſe eſt, ut iam ante inuentam typographiam, nempe A. 1425, in hanc lucem fuerit editus, adeoque facile harum rerum notitiam habere potuerit. Nobis non uacat, omnes huius *Faſciculi temporum* editiones recenſere; interim eas, quas inſpicere nobis contigit, annotabimus. E quibus antiquiſſima eſt Colonienſis, A. 1474 excuſa; cuius haec eſt ſubſcriptio typographica: *Impreſſa eſt haec Cronica que dicitur faſciculus temporum colonie agrippine, ſicut ab autore ſuo, quodam deuoto* car-

carthuſienſi, colonie edita eſt. ac ſecundum primum exemplar, quod ipſe uenerabilis autor propriis conſcripſit manibus ad finem uſque deducta. per me arnoldum ther huernc. ſub annis Dom. M. CCCC LXXIIII. in *fol.* In hac editione res uſque ad A. 1474 enarrantur; de typographia autem circiter ad A. M. CCCC. LVII. haec duntaxat breuiſſimis proponuntur: *Artifices mira celeritate ſubtiliores ſolito fiunt. Et impreſſores librorum multiplicantur in terra.* At duas adhuc alias huius *Faſciculi* editiones, Coloniae Agrippinae, (ubi tunc adhuc ſuperſtes degebat auctor,) A. 1479, et 1481, typis exſcriptas, et ab *Vniuerſitate Colonienſi admiſſas*, ſiue approbatas, uidimus, quas ſupra indicauimus. Vtriusque eadem haec eſt ſubſcriptio; niſi quod unice temporis notatio eſt mutata: *Opuſculum utique omni ſtatui atque hominum gradui ad uitam exemplandam perutile, continens ſuccincte progreſſum patrum ab initio mundi usque ad hoc noſtrum tempus. cum actis notabilioribus eorundem. Quod deuotus quidam Carthuſienſis. eius autor primus faſciculum temporum nuncupauit. Impreſſum per me Henricum quentel. Et admiſſum ab alma uniuerſitate Colonienſi. Explicit feliciter ſub anno domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono.* LAVS DEO. *Fol. Max.* In altera editione, eadem, uti diximus, ſubſcriptio ita finitur: *Explicit feliciter. Sub anno dñ̄.* M. CCCC. LXXXI. *DEO GRATIAS.* In utraque hac editione, quam idem auctor, qui tum Coloniae ſuperſtes degebat, recognoſcere potuit, uerba illa de typographia, ſupra deſcripta, paullo auctiora leguntur, eiusque artis ortus refertur ad Moguntiam. Sed praeterea nobis praeſto ſunt duae aliae huius *Faſciculi*, eaeque *Argentoratenſes*, editiones, in quibus res ad A. 1483 productae exponuntur. Vni haec a typographo addita eſt ſubſcriptio: *Impreſſum Argentine per Iohannem pryſs. Anno dni.* MCCCCLXXXVII.

Alte-

Alteri haec adiecta ſunt uerba: *Impreſſum Argentine per Iohannem pryſs. Anno domini.* MCCCCLXXXVIII. Neque eſt, quod putes, in his duobus exemplaribus tantummodo ſubſcriptionem eſſe mutatam: cum utique, etiam in contextu, ſaepe uarientur typi. Quod autem ad narrationem de ortu typographiae attinet; ea in utroque exemplari eſt eadem, et quamuis uerbis differat ab ea, quam exhibent duae editiones Colonienſes, modo a nobis indicatae; re ipſa tamen cum iisdem conſentit. Neſcias uero, utrum tota illa narratio de origine typographiae, quae in exemplaribus Argentinenſibus eſt euulgata, ab ipſo auctore, *Roluinckio*, an ex parte a quodam Argentoratenſi interpolatore, ſit profecta? Vterlibet praeclare ſuffragatur in hac cauſſa honori Moguntiae.

OBSERVAT. II. Alter teſtis, quem pro Moguntia excitauimus, eſt IOHANNES NAVCLERVS; qui, referente GER. IO. VOSSIO, *Libr.* III *de Hiſtoricis Latinis*, *pag.* 200, fuit filius nobilis Sueui, *Ioannis Vergae*, uulgo *Vergehans*, quod nautam notat; unde *Nauclerus* Graeca appellatione uocatus. Cum iuris ſtudio theologiam coniunxerat, atque Academiae Tubingenſis, A. 1477 recens conditae, primus fuit Rector et Cancellarius; ſcripſitque *Chronicon* ab initio mundi usque ad A. 1500. B. MOLLERVS noſter, in *Diſput.* de IO. NAVCLERO, coniecit, hunc A. 1430 natum fuiſſe; cum anno 1450 EBERHARDO, PRINCIPI IVVENTVTIS, et poſtea primo DVCI WIRTEMBERGICO, ephorus moderatorque ſtudiorum datus fuerit, et A. 1460 dignitatem *Praepoſiti eccleſiae Collegiatae*, apud Studgardienſes, obtinuerit.

OBSERVAT. III. Tertius, qui teſtimonium pro Moguntia dixit, eſt FELIX FABRI, alias SCHMID dictus; qui, docente VOSSIO, l. c. *pag.* 177, anno CIƆCCCCLXXXIII, ac deinceps, in conuentu Vlmenſi Monachus egit ordinis

Praedicatorum. *Hiſtoriam Sueuorum*, quam GOLDASTVS, inter *Scriptores aliquot ueteres rerum Sueuicarum*, euulgauit, ſcripſit ille anno circiter 1489; cum in fine *Capitis* VIIII *Libri* II dicat: *Manet autem tribulatio illa usque in praeſentem annum, qui eſt a natiuitate Domini* M. CCCC. LXXXIX.

OBSERVAT. IIII. Non uereamur, ne hos tres ſcriptores, (ut alios eiusdem generis in praeſenti praetermittamus,) ad teſtimonium pro Moguntia perhibendum fruſtra excitaſſe exiſtimemur: cum appareat, eos ueritatem teſtari, et potuiſſe, et non noluiſſe. Cum enim hi, iſtis temporibus, quibus recens inuenta erat typographia, uixerint aequales; tunc, ſi non ex ipſis primis typographiae inuentoribus, certe ex fama publica, uel etiam ex recentibus rei typographicae monimentis, ſcire potuerunt, ex qua ciuitate orta eſſet typographia. Neque ſatis probabilis ratio reddi poterit, cur iidem tres ſcriptores contra uerum niti, nec ſolum ſui ſaeculi homines, ſed omnem etiam poſteritatem, mendacio, aut commentitia quadam narratione, fallere, quam uiuentibus poſterisque ueritatem patefacere, maluerint. Sicuti uero, et Colonienſes, et Argentoratenſes, typographi ipſi non neceſſe habuerunt, in repetita *Faſciculi temporis* editione retractare narrationem de ortu Moguntino typographiae: ita neque ab aliis tunc temporis uel refutati, uel de falſo teſtimonio ab ullo appellati, fuere.

OBSERVAT. V. Inprimis autem notatu dignum eſt, in ipſa Vrbe, Argentina, in qua floruerat IO. MENTELIVS, demum A. 1478 mortuus, non ita diu poſt, nempe A. 1487, et A. 1488, impreſſum fuiſſe *Roluinckii Faſciculum temporum*; in quo, ut ſupra oſtendimus, laus inuentae typographiae, ſine aliqua uel admonitione, uel correctione, aperte et unice tribuitur *Moguntiae*. Quapropter ſatis cauſſae habuit SCRIVERIVS, *in Laurea Lau-*

ren-

rentii Coſteri, cap. XI, *pag.* 62, (quae Latine uerſa extat in Celeb. VVOLFII T. I *Monumentorum Typographiae,*) cur iſta de *Faſciculo temporum* commentaretur: *Gloriam inuentae typographiae Argentorato, in libro quodam, ab Argentoratenſibus typographis impreſſo, tam aperte negari, et Moguntiae tribui, potuiſſe, mihi non uidetur uериſimile: atque enormis fuiſſet Argentoratenſium incuria, ſi, poſito hoc, quod ipſi typographiam inuenerint, mendacium hoc ſua opera publice diuulgari permiſiſſent?*


OBSERVAT. VI. Tantum igitur abeſt, ut ARGENTINA iſtis primis temporibus, in ullo libro, alioue monimento, ſibi adſcripſerit nomen laudemque *inuentricis typographiae*, aut ut IO. MENTELIVS, qui A. 1478 obiit, in elogio ſepulcrali dictus fuerit IMPRESSOR PRIMVS, aut INVENTOR LIBRORVM IMPRIMENDORVM; (cum ibi ſimpliciter audiat IMPRESSOR;) aut ut Argentinenſes publicis ſaepiusque repetitis librorum a Moguntinis impreſſorum ſubſcriptionibus unquam reclamarint: ut potius gloriae Moguntinorum ſuffragati uideantur; cum, ſi non ipſi inſeruerint *Faſciculo temporum* teſtimonium pro Moguntia, certe id, uel ab auctore, uel ab alio quocunque, inſertum, et ſuis typis excuſum, permiſerint per orbem terrarum diſſeminari, et ad ſeram transmitti poſteritatem. Equidem facile credimus, ſatis mature cultum typographiae locum inueniſſe Argentinae; cum conſtet, iam 1466 Biblia Germanica ibi typis fuiſſe excuſa, quorum exemplar extat in Bibliotheca illuſtris Conſiſtorii Studgardienſis, cum hac ſubſcriptione typographica: *Explicit liber iſte anno domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto formatus arte impreſſoria per Venerabilem uirum, Iohannem Mentell, in argentina.* Praeterea auctor *Chronicorum ſummorum Pontificum Imperatorumque*, A. 1476 *Romae per magiſtrum Io.* *Schu-*

Digitized by Google


Schurener de Bopardia typis excuſorum, (quorum iam in *Exercit.* 1, *pag.* 34, mentionem fecimus,) poſtquam ad A. 1458 primum commemorauerat, *Gutembergum* et *Fauſtum, literarum in membranis per metallicas formas imprimendarum peritos innotuiſſe, trecentas chartas quemque eorum per diem facere, apud Maguntiam Germaniae ciuitatem;* tum mox, ſecundo loco, addit: *Iohannes quoque Mentelinus nuncupatus apud Argentinam, eiusdem prouinciae ciuitatem, ac in eodem artificio peritus, totidem chartas per diem imprimere agnoſcitur.* Attamen, ut Moguntiam de poſſeſſione huius laudis deturbent Argentinenſes, neceſſe eſt, ut antiquiores libros apud ſe, quam apud Moguntinos, typis exſcriptos in lucem proferant; neque utantur teſtimoniis eiusmodi chronicorum, quorum auctores aliquantum remotiores ab iſtis temporibus, dum ueris falſa et commentitia inſpergunt, et, u. g. ex uno homine duos effingunt, *Gutembergium* nempe et *Genſefleiſchium*, ceterarum etiam rerum fidem hac in cauſſa facile ſuſpectam reddunt; ſed ex uetuſtis et indubiis documentis doceant, *Io. Mentelium Gutembergio*, dum hic A. 1441, et 1442, Argentorati commoratus eſt, artem hanc tradidiſſe, nec fortaſſe potius e *Gutembergio*, ſi is iam illo tempore de typographia inuenienda cogitauit, quaedam percepiſſe conſilia. Quid? quod etiam opus eſt, ut probabiles exponant rationes, cur primis temporibus non ſolum nusquam ſibi adſcripſerint inuentionem typographiae, neque unquam refragati ſint gloriationi Moguntinorum; ſed cur etiam ipſi potius horum laudem, ex inuentione typographiae partam, impreſſo iſto *Faſciculo temporum*, ſcientes uolentesque diſſeminarint, atque ad omne aeuum futurum propagarint? Haec ſi praeſtiterint, rem facile confectam habebunt, nosque in primis gloriae ipſorum,

etiam

Digitized by Google



Digitized by Google



Google

etiam ex hac parte, ultro meritoque applaudemus. Id quod HARLEMENSES quoque ſibi dictum putare poſſunt; quorum cauſſam, cum alibi, tum potiſſimum in *Indice nouo librorum ſub incunabula typographiae impreſſorum*, iam attigimus.

VIIII.

EXPLICATIO TABVLAE, IN QVA EXHIBENTVR SIGNA QVAEDAM ARTIFICVM CHARTARIORVM, QVORVM CHARTIS IN EXCVDENDIS LIBRIS FREQVENTIVS VSI SVNT PRIMI TYPOGRAPHI MOGVNTINI.

Cur huiusmodi ſignorum chartariorum rationem habendam duxerimus, infra exponemus. Id duntaxat hoc loco notamus, nobis non contigiſſe, ut omnes libros, qui in primi temporis typographia Moguntina typis fuere impreſſi, inſpiceremus, et ſigna chartariorum inde deſcriberemus: ſed nos ea tantummodo retuliſſe ſigna, quae in chartis librorum, quos ipſi maximam partem poſſidemus, obſeruauimus, et quos, ſecundum *numeros Indicis librorum apud Moguntinos primum impreſſorum*, itemque ſecundum *pagmas Exercitationis* II, nunc recenſemus:

II, *pag.* 5.) In chartis *Bibliorum Latinorum*, ſine notatione temporis, loci, et typographi, impreſſorum, occurrit frequentiſſime ſignum N. 1; et aliquoties ſignum N. 2.

VIIII, *pag.* 14.) In chartis *Bibliorum Latinorum* A. 1462 impreſſorum obſeruatur ſaepius ſignum N. 2, aliquoties N. 4, et 5. Cui haec debeamus, iam *pag.* 15 *Exercitationis* II indicauimus.

Digitized by Google

XIIII, *pag.* 21.) In *libello Auguſtini de uerae uitae cognitione*, N. 18.

XVI, *pag.* 22.) In *conſtitutionibus Clementinis* A. 1467: N. 1; et ſemel N. 3.

XVIII, *pag.* 25.) In *libro Quarto Scripti S. Thomae de Aquino*, A. 1469: N. 1 et 2.

XXI, *pag.* 28.) In *Valerio Maximo*, A. 1471: N. 3, et 18.

XXIIII, *pag.* 29.) In *Decreto Gratiani*, A. 1472, folio maximo: N. 3, 10, 12.

XXV, *pag.* 30.) In *Bibliis Latinis*, A. 1472: N. 10, 13, 14, 15.

XXVIII, *pag.* 32.) In *Libro ſexto Decretalium Bonifacii* VIII, A. 1473: N. 10, 11, 12, 13.

XXVIIII, *pag.* 33.) In *Auguſtino de Ciuitate Dei.* A. 1473: N. 13, 14, 15, 18, 19, 21, 22.

XXX, *pag.* 34.) In *noua compilatione Decretalium Gregorii* IX, folio maximo, A. 1473: N. 10, 11, 12, 13.

XXXIII, *pag.* 36.) In *Bernhardi*, *Abbatis Clareuall. Sermonibus*, A. 1475: N. 13, 17, 18. 21.

XXXIIII, *pag.* 37.) In *Codice Iuſtiniani Repetitae Praelectionis*, fol. max. A. 1475: N. 10, 11, 12, 13.

XXXVI, *pag.* 38.) In *Iuſtiniani Inſtitutionibus Iuris*, A. 1476: N. 13, 14, 17, 18, 21.

XXXVIIII, XXXX, et XXXXI, *pag.* 39, et 40.) In *Authenticis*, ſiue *Nouellis Conſtitutionibus Iuſtiniani*, in *Conſuetudinibus Feudorum*, et in *Libris tribus poſterioribus Codicis Iuſtinianaei*, A. 1477: N. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 21; rarius, N. 1 et 3.

XXXXVI, *pag.* 42.) In *Horto Sanitatis*, A. 1485: N. 2, 3, 7, 8, 9, etc.

X. OB-

X.

OBSERVATIONES QVAEDAM AD TABVLAM SIGNORVM QVORVNDAM EARVM CHARTARVM, QVIBVS VSI SVNT PRIMI TYPOGRAPHI MOGVNTINI.

OBSERVAT. I. Quo utilior, et ad prouehendam rem literariam accommodatior, ea *charta* eſt, qua hodie utimur, ex linteis contritis maceratiſque parata: hoc magis optandum eſſet, ut de tam praeclari inuenti auctore, ortu, et progreſſu, itemque uariis officinis, plus nobis conſtaret, quam hucusque tradi conſueuit, aut ſciri potuit. MABILLONIVS, *de re diplomatica, Libr.* I *cap.* VIII, *pag.* 39, cenſuit, chartae huius uſum ab annis amplius quingentis inualuiſſe. Alii aliquantum altius rem arceſſere conantur; ſed attendendum eſt, ne forte charta lintea cum bombycina confundatur. Inepte fefellerunt, qui huius chartae uſum uel ultra Chriſti nati ſaecula reduxere. Vnde LEO ALLATIVS feliciter detexit fraudem Fragmentorum *Antiquitatum Etruſcarum*, in chartis noſtris ſcriptarum, et ab *Inghiramio* editarum, licet etiam Sullana tempora mentirentur. Ita et Meſſanenſes fruſtra olim oſtenderunt epiſtolam, ad ſe a *B. Maria Virgine* in charta lintea ſcriptam, tanquam Beatae Virginis αὐτόγραφον.

OBSERVAT. II. Etſi aeque in charta noſtra, ac olim in Aegyptiaca, (quae ex iuncis paluſtribus conficiebatur,) praeter alia, maxime ſpectari ſoleant, candor, laeuor, tenuitas, denſitas: uix tamen operam, homine literarum ſtudioſo dignam, putes, in chartis noſtris aliquando etiam ſpectari debere ſigna artificum chartae conficiendae, quibus ſingulae plagulae in alterutro folio medio, ex forma chartarii leuiter ſignatae, deprehendun-

Digitized by Google

tur, ita quidem, ut ea ſigna, eodem colore cum ipſa charta formata, ſcribenti non officiant, nec impediant legentem. Nihilo minus tamen conſideratio eiusmodi ſignorum aliquando eximium uſum, etiam in ipſo foro, et iudiciis, habuit, atque arguendis hominum maleferiatorum fraudibus inſeruiit. Cuius rei exempla quaedam, memoratu digna, annotauit LEO ALLATIVS, *in Animaduerſionibus ad Inghirami Antiquitatum Etruſcarum fragmenta*, n. LXXVII, *pag.* 138, ſqq. quae huc transſcripſiſſemus, niſi nunc ad finem huius Exercitationis nobis properandum eſſet.

OBSERVAT. III. Quia uero ſub prima typographiae incunabula non pauci libri typis fuere excuſi, quibus nulla annotatio, uel temporis, uel loci, uel typographi, fuit addita; nos hoc loco paucis duntaxat exponere conabimur, quemadmodum aliquando *conſideratio ſignorum chartulariorum* nobis ad qualemcunque coniecturam primam quaſi uiam aperire poſſit, ubi, et a quo typographo, eiusmodi libri chartacei typis uideantur impreſſi. Quodſi enim ex ſignis chartaceis aliorum librorum, qui manifeſtum typographi indicium prae ſe ferunt, colligas, quo genere chartarum ille ipſe typographus prae ceteris frequentius uti conſueuerit; poſſis, ceteris paribus, inde in coniecturam uenire, annon et alii libri, expreſſo indicio alio deſtituti, in quibus uero eadem ſigna chartulariorum inuenias, ad eundem typographum referri queant?

OBSERVAT. IIII. In qua re tamen caute procedendum eſt: cum non ſolum idem genus chartarum per commercia ad uarias ciuitates officinasque transferri potuerit, (prout et hodie fieri ſolet;) ſed cum ueteres etiam illi artifices chartarum conficiendarum, haud raro ſe inuicem

cem aemulati, et inſignia chartae melioris, et frequentius uſitatae, imitati uideantur. Atque adeo fieri potuit, ut interdum, et Argentoratenſes, et Auguſtani, et Norimbergenſes, aliiue typographi, iisdem chartis uſi uideantur, et reuera uti potuerint. Vnde *Ratio illa e ſigno capitis bouis cornuti, cognoſcendi libros editos a* IO. FAVSTO, *Moguntino, inter artis ab ipſo primum inuentae et excultae rudimenta*, haud quaquam in uniuerſum et ſimpliciter ualet, quam GABR. NAVDAEVS, *Libr.* I *Epigrammatum*, *pag.* 52, commendauit:

His duo, ſi neſcis, teneris impreſſa papyris
Artificum ſigno, uitulinae cornua frontis;
Grandia Chalcographi referunt miracula FAVSTI,
Qui primus calamis libros tranſcripſit ahenis,
Atque ſua terris mirum decus intulit arte.

OBSERVAT. V. Itaque ſimul colligenda ſunt, quaecunque alia haberi poſſunt indicia. Inprimis accurate conſideranda ſunt ipſa chartulariorum inſignia: nam quamuis eadem aliarum quoque ciuitatum et officinarum chartularii aliquando ſint imitati; diligenter tamen attendentibus facile quoddam diſcrimen, et quaedam uarietas, ratione formae maioris, aut minoris, item et ratione aliarum quarundam figurarum et appendicum, his ſignis additarum, apparebit. Deinde potiſſimum ſimilitudo formarum ductuumque in maiorum minorumque literarum typis ex pluribus libris cognitis eſt indaganda, et cum typis librorum incognitorum conferenda. Praeterea ratio habenda eſt ſignorum interpunctionis: cum libri in quibusdam officinis impreſſi ſolum ſignum puncti, loco omnium interpunctionum, adhibeant; in aliis ſimul duo puncta, aut notam interrogandi, aut commata, admittant. Denique etiam reſpiciendae ſunt

 for-

Digitized by Google

formulae, calci librorum adiectae; cum in non nullis officinis frequentius addant: DEO GRATIAS; in aliis: LAVS DEO; LAVS OPTIMO MAXIMO, etc. in aliis ab omni formula ſe abſtineant. Neque iis occaſio deerit obſeruandorum aliorum huiusmodi indiciorum, quibus plurium eius generis librorum euoluendorum praeſto eſt copia. Quo plura uero eiusmodi indicia cum inſignibus chartulariorum conueniunt; ad eo probabiliorem coniecturam de certo typographo, eiusque officina, capiendam deducemur. Non enim unicum eius generis indicium his rebus diiudicandis facile ſufficit.

APPENIDIX
DE IOHANNIS REGIOMONTANI MERITIS IN REM TYPOGRAPHICAM.

I. Lectoribus beneuolis non ingratum futurum eſſe putamus, ſi hac occaſione de IOHANNE REGIOMONTANO, praeſtantiſſimo ſui aeui Mathematico, non nihil afferamus. Fuere enim, qui etiam ad hunc natales typographiae inuentae et excultae retulerint. Ita certe PETRVS RAMVS, natione Gallus, anno ſaeculi decimi ſexti quincto natus, uir omnium temporum memoria dignus, qui mathematicas diſciplinas in Regio auditorio Pariſienſium magno cum applauſu docuit, in prooemio *Libri II Scholarum mathematicarum*, *pag.* 64, haec diſerte ſcripſit: *Ex eadem gente Germanorum mathematico beneficio prodiit typographia, quae uidetur in* PVRBACHII *tabulis ad* REGIOMONTANVM *referri; inter cuius opera ſaltem tentata ars illa mirifica literarum formatrix appellatur. Neque chronologia repugnat, cum primum typographiae exemplum Moguntiae editum ſit anno* 1466 *a Petro Gerneſo* [Petro Schoeffero de Gernsheim] *puero Ioannis Fuſti; ut conſtat e Ciceronis officiis,*

ciis, quae prima omnium librorum typis aeneis impreſſa ſunt. — — *Ita ars artium omnium conſeruatrix, typographia, e Mathematicis Germaniae primum nata eſt.* Vtque iam taceamus THEOD. ZVINGERVM, Heluetium, qui in *Theatro uitae humanae, Vol.* XVIIII, *Libr.* 1, *pag.* 3196, eadem repetit; ſimilia de *Regiomontano* etiam narrat CLAVD. DVRETVS, ſcriptor Gallicus, *Threſor de l' hiſtoire des langues de cet Vniuers, cap.* 84, *pag.* 982. In primis uero e recentioribus PAVLLVS PATER, in *Diſſertatione de arte typographica*, A. 1710 edita, de eodem REGIOMONTANO haec tradit, § VI: *Ex grandi tot nominum agmine, illis principem aſſignari locum poſſe cenſemus, qui* IOHANNEM REGIOMONTANVM, *Mathematicum ſaeculi illius celeberrimum, rei praeclariſſimae primum motorem laudant, et ſalutari eius conſilio tentatum ſuſceptumque diuinum hoc typis excudendi libros artificium fuiſſe commemorant; quos inter celebris et famoſiſſimus ſcriptor, Theodorus Zuvingerus, qui teſtimoniis Auentini, Sabellici,* [apud hos nihil de Regiomontano, tanquam inuentore typographiae, inuenire potuimus,] *et potiſſimum Petri Rami, innititur.* etc. § VII. *Cuius autem ope Regiomontanus ſuſcepta de typis literarum conſilia in effectum deduxerit, diuerſae diuerſorum circumferuntur ſententiae.* § VIIII: — — *Repertorum typorum palmam* REGIOMONTANO *et* GVTEMBERGIO *nemo facile dubiam fecerit.* § XII: — — *Productae auctoritates et teſtimonia ueterum,* [utinam uero haec luculentius expoſuiſſet auctor!] *quin et ipſa ueritas affirmat, in nobili Argentorato, Mathematici* REGIOMONTANI *conſilio, memoranda haec auſa generoſaque conata,* IOHANNEM GVTEMBERGIVM *ſuſcepiſſe, inſumtaque magna pecuniae ui, (erat enim perdiues) tentaſſe primam ibidem rem uariis experimentis, ab anno nimirum* 1440: *poſtea uero circa annum* 1450, *in uicinam Moguntinenſem ciuitatem*

Digitized by Google

tem commigraſſe, *atque ope* IOHANNIS FAVSTI, *qui et* FVSTVS, *itemque*, GENSEFLEISCH *dicitur*, *feliciter tandem perfeciſſe*. Habet quaedam, in hac *narratione*, PAVLVS PATER, quibus calculum noſtrum addere haud poſſumus, parumque abeſt, quin ſuſpicemur, Profeſſorem hunc Gedanenſem, eumque fortaſſe ipſum e Boruſſis natum, ideo tantopere honorem inuentae typographiae uindicatum iuiſſe IOH. REGIOMONTANO, quoniam ſibi perſuaſum habuerit, hunc REGIOMONTE in Boruſſia procreatum fuiſſe. Sed et S. PALMER, Britannus, qui origines typographicas indagandas ante paucos annos ſuſcepit, (*A General hiſtory of Printing*, etc. *London*, 1733, 4,) *pag*. 21, id operoſe egit, ut, quidquid in fauorem IOH. REGIOMONTANI dici poteſt, colligeret; cum animaduertiſſet, fuiſſe omnino quosdam, quibus uerisimillimum uiſum, a tanto tamque incomparabili Mathematico praeclaram librorum typis exſcribendorum artem, uel primum inuentam fuiſſe, uel ſaltem primis inuentoribus eiusdem artis perficiendae ſaluberrima conſilia eſſe ſuppeditata: cui opinioni eo maiorem conciliari probabilitatem, ait, quod in eximia et locupletiſſima illuſtriſſimi M. Britanniae Comitis, PEMBROCKII, bibliotheca extet *Manilii Aſtronomicon*, in cuius calce haec uerba typis expreſſa legantur: EX OFFICINA IOHANNIS DE MONTE REGIO IN NVREMBERG. Licet uero, quod dolemus, nulla temporis notatio huic libro ſit adiecta; teſtatur tamen PALMERVS, huius libri editionem omnino ſibi uideri antiquiorem, quam quae anno CIↃCCCCLXXIII in Italia prodierit in lucem: interim tamen ſuſpendit iudicium ſuum, et optat, ut tempus et dies plura tandem et certiora e tenebris proferat documenta, e quibus IO. REGIOMONTANI merita in rem typographicam clarius eluceſcant. Et hoc idem nos quoque maiorem

iorem in modum optamus. Quid enim aliud faciamus in iſta huius rei obſcuritate? Abſit enim a nobis, ut quidquam honori tanti uiri derogare uelimus! Sed neque noſtrum eſt, inconſulto quodam animi impetu ea aſſeuerare, quae certiora argumenta omnino adhuc requirunt.

II. Tam inſignis uiri uitam iam commemorauit ERASMVS RHEINHOLT, Mathematum Profeſſor Wittembergenſis; niſi fortaſſe PHIL. MELANCHTON RHEINHOLTO *orationem de Ioanne Regiomontano* recitandam exhibuit, quae eſt in *Tomo III Selectorum Declamationum Philippi Melanchthonis*, *pag.* 252, ſeqq. Deinde PETRVS GASSENDVS, ſummus ſui temporis Philoſophus et Mathematicus in Academia Pariſienſi, in *uita Peurbachii et Regiomontani*, quae T. V eius *operum*, *pag.* 519, continetur. Tum MELCHIOR ADAMVS, in *uitis Germanorum Philoſophorum*, n. 3; ac denique uir celeberrimus, IOH. GABR. DOPPELMAYR, *in der Hiſtoriſchen Nachricht von den Nürnbergiſchen Mathematicis*, *pag.* 1, ſeqq. Vt autem eo facilius cognoſcere, ac diiudicare, poſſimus, an, et quid IOHANNES REGIOMONTANVS, ad inueniendam, aut expoliendam, typographiam, conferre uoluerit, potueritue; ſumma uitae eius capita nunc breuiter ſtrictimque repetemus. Vero nomine ille appellatus fuerat IOHANNES MVLLERVS, ſiue MOLITOR, in opido Franconiae, *Regiomonte*, anno ſaeculi decimi quincti triceſimo ſexto, poſtridie Nonas Iunii, felicibus auſpiciis, ex parentibus honeſtis, quamquam mediocris fortunae, natus. Quia uero tunc utplurimum moris erat, ut homines de patria ſua cognominarentur; hinc uſu uenit, ut et hic *Iohannes*, omiſſo *Mulleri* cognomine, uel *Iohannes Germanus*, aut *Francus*, uel *Iohannes de Regio Monte*, aut *Monte Regio*, aut *Regiomontanus*; et Germanice,

 Meiſter

Digitized by Google

Meiſter Iohann Kungſperger, ſiue *M. Iohan von Köngſperg*, appellaretur. Hallucinati uero ſunt *Iacobus Mentelius*, *Strauolſius*, et alii, qui crediderunt, eum a *Regio Monte Boruſſiae* nomen traxiſſe. Cum is a DEO nactus eſſet bonam indolem, ac felicis ingenii corporisque uires, totus ſe a primis annis ad literarum ſtudia conuertit, et, poſtquam, cum in patria, tum, quod propter uiciniam credibile eſt, Norimbergae, quae iam tum literis artibusque bonis eſſloreſcere coepit, quaedam doctrinae fundamenta iecerat, adoleſcens adiit Lipſiam, ubi artem bene ratiocinandi, et ſphaerae doctrinam, auidiſſime arripuit. Hinc maxime amore aſtronomiae coepit flagrare; et quoniam ad huius cognitionem uſumque neceſſariam agnouerat Arithmeticam, et Geometriam, utriusque diſciplinae elementis addiſcendis ita ſe addixit, ut mora non longa ea perceperit. Cum uero Lipſiae non haberet aemulos quosdam, aut accuratiores, quos ſequeretur, huius ſtudii duces; audiiſſet autem, Viennam Auſtriae praecipuum eſſe domicilium eius philoſophiae: ſub annum ſaeculi iſtius quinquageſimum ſecundum eo profectus eſt. Ibi magna cum laetitia inuenit, ſibique mox conciliauit, GEORGIVM PEVRBACHIVM, Bauarum, uirum ingenioſiſſimum, et unum omnium tunc fama maxime florentem. *Peurbachius* uero admiratus in hoc iuuene tantum animi, ut ſolo uirtutis doctrinaeque amore illuc iter ſuſcepiſſet; contemplatusque in eius facie indolem ingenuam, et ad praeclara quaeque audenda natam, ipſum humaniſſime amantiſſimeque eſt complexus; eſſe eum bono animo iuſſit, eidemque pollicitus eſt, nihil ſe, quo tam honeſto laudabilique ipſius deſiderio ſatisfaceret, praetermiſſurum. A quo tempore REGIOMONTANVS, tam excellente duce uſus, in ipſa ſacratiſſima artium

artium mathematicarum adyta feliciter penetrauit, tandemque arctiſſima inter docentem diſcentemque familiaritate per decennium contracta, dici non poteſt, quantum, collatis diligenter ſententiis, uterque ad illuſtrandas diſciplinas mathematicas contulerit. Inter haec acciderat, ut BESSARION, natione Graecus, doctrina uir excellentiſſimus, dignitate Pater purpuratus, in aulam GLORIOSISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS, FRIDERICI III, a ſummo Pontifice miſſus, aliquamdiu commoraretur. In huius notitiam cum perueniſſent, *Peurbachius*, et *Regiomontanus*; is utrique auctor ſuaſorque extitit, ut ſecum proficiſcerentur in Italiam, ubi et Graecae linguae addiſcendae, et perluſtrandorum multorum Codicum ueterum, e Graecia tunc allatorum, exoptatiſſimam inuenturi eſſent occaſionem. Cui itineri cum iam accingeretur *Peurbachius*, contra omnium opinionem uotumque, diem obiit ſupremum. *Regiomontanus* uero, proſecutus inſtitutum ſuum, anno circiter cIↄccccLXII, comitabatur *Baſſarionem*, in Italiam reuertentem. Vbi Romam uenerat, cum *Trapezuntio*, aliisque literatis uiris, ſaepius congreſſus eſt; perluſtrauit et bibliothecas, quae uehementius eum accendebant, ut Graecae linguae operam nauaret; cum non neſciret, ex Graecis potiſſimum ſcriptoribus quaſi e fontibus riuos artium mathematicarum eſſe deducendos. In cuius linguae ſtudio tam celeriter profecit, tamque dextre ingenii ſui animique explicauit dotes, ut omnibus eſſet admirationi. Aliquanto poſt Ferrariam ſe contulit, ubi tunc exquiſitae eruditionis fama florebant, *Blanchinus*, et *Theodorus Gaza*, et *Guarinus*. Hinc poſt annum digreſſus uenit in Academiam Patauinam, ubi a philoſophiae ſtudioſis roga-

tus *Alfraganum*, ueterem Arabiae mathematicum, publicis recitationibus illuſtrauit. Inde digreſſus Venetias, tum reuerſus Romam, non paucos Graecorum Latinorumque libros manu ſua deſcripſit, nec leuia cum *Trapezuntio* iniit certamina, cum eius hallucinationes, in *Theone* Latine uertendo admiſſas, ingenue refutaret. Iam autem erudi- tione iuxta, ac libris uetuſtis, locupletatus, anno 1466 ex Italia rediit Viennam Auſtriorum; ubi ſurrogatus in locum *Peurbachii*, dudum defuncti, etſi mathemata publice docere coeperat; euocatus tamen a Rege Pannonum, MATTHIA HVNNIADE CORVINO, et ab Epiſcopo Strigonienſi, magnis praemiis donatus eſt. Sed cum Pannonia, Auſtria, et uicinia, ob Bohemici regni controuerſiam, magnis tumultibus perturbarentur; *Regiomontanus*, ut ſtudiis ſuis tranquillam conſtitueret ſedem, anno 1471 Norimbergam ſe contulit. Supereſt certe, in Bibliotheca publica perilluſtris Reip. Norimbergenſis, exemplar epiſtolae *Io. Regiomontani manu M. Chriſtiano*, [Rodero, Hamburgenſi,] *mathematicorum praeſtantiſſimo*, in Academia Erfordienſi matheſin tunc profitenti, inſcriptae, et ex urbe *Norimbergenſi*, *die quarto Iulii*, *anno Chriſti* 1471, datae: in qua epiſtola ipſe ſimul cauſſas exponit, quibus inductus, Norimbergae potiſſimum maluerit reliquum uitae ſuae tempus tranſigere. *Eam enim* [Norimbergam,] inquit, *mihi delegi domum perpetuam, tum propter commoditatem inſtrumentorum, et maxime aſtronomicorum, quibus tota ſideralis innititur diſciplina; tum propter uniuerſalem conuerſationem facilius habendam cum ſtudioſis uiris ubicunque uitam degentibus; quod locus ille perinde quaſi centrum Europae, propter excurſum mercatorum, habeatur.* Cum adeo iam praeclaris inſtructus eſſet doctrinae ſubſidiis, et, quantum poſſet, ſe ad mathe-

mathemata illuſtranda et propaganda praeparaſſet, *Regiomontanus;* conſtituerat, Norimbergae et ueteres edere ſcriptores, et ſuas publicare meditationes. Cuius conſilii ſui rationes expoſuit in *Indice*, ſiue *nomenclatura, operum a ſe edendorum*,. quam infra proponemus. Ad inſtitutum autem ſuum feliciter proſequendum, ipſe inſtruxerat *officinam typographicam*, ſumtus ſuggerente BERNHARDO VVALTHERO, ciue Norimbergenſi honeſtiſſimo, qui et facultates habebat ampliſſimas, et ipſe magna accuratione colebat matheſeos, ac ſigillatim ſideralis ſcientiae, ſtudia. Iam adeo egregia prorſus opera moliebatur uir acutiſſimus pariter atque laborioſiſſimus; iam inter ſtudiorum ſuorum delicias, quidquid reſtaret aetatis, Norimbergae transigere ſibi propoſuerat; cum eius propoſitum, praeter opinionem, interpellaret SIXTVS IIII, Pontifex Maximus. Hic enim, quoniam decreuerat Calendarii emendandi rationem habere, ut nempe annus, ex uetuſta intercalatione faſtis minime reſpondens, ad ſtatas ex curſu lunae *Paſchales* caerimonias reuocaretur; ad tantum negotium adgrediendum perficiendumque aptiorem *Regiomontano* nouerat neminem. Itaque eum, propoſitis largiſſimis praemiis, et deſtinato munere Epiſcopi Ratisponenſis, hunc in finem euocabat Romam. Licet itaque a ciuitate Norimbergenſi, et officina ſua, operibusque deſtinatis, aegre auelleretur Iohannes; uicit tamen tandem auctoritas Pontificis, et expectata praeclari illius facinoris, ad quod in gratiam ſacrae religionis accerſebatur, gloria. Diſceſſit proinde anno cIↃcccclxxv, ſub ipſum finem menſis Iulii; ſiquidem poſtrema eius obſeruatio circa altitudinem meridianam Solis, quam Norimbergae inſtituerat, facta eſt die eius menſis XXVIII. Ac fuit ille quidem Romae non ſine applauſu exceptus;

 uerum

Digitized by Google

uerum non integro anno ibi ſuperuixit. Ibidem enim, cum ſummo omnium bonorum dolore, et cùm ingenti ſtudiorum mathematicorum damno, obiit pridie Nonas Iulii anni cIɔcccclxxvi. Quamquam uero PAVLVS IOVIVS, in *Elogiis uirorum doctorum*, *pag.* 218, tradiderit, *Regiomontanum*, graſſante in Vrbe peſtilentia, fato ſurreptum eſſe: alii tamen literis prodiderunt, tunc non obſcuram extitiſſe ſuſpicionem, eum ex inſidiis et arte filiorum *Trapezuntii* ueneno ſublatum eſſe; quod Parentis eorum lapſus in Ptolemaei Theoniſque ſcriptis Latine interpretandis commiſſos non diſſimularit. Vt autem eo clarius pateat, quot et quanta quamque illuſtria opera molitus fuerit uir immortalis nominis; nunc eius operum *Indicem*, anno circiter cIɔcccclxxiii publicatum, his adiiciemus; utpote cuius *αὐτόγραφον*, ſiue primum exemplar typis impreſſum, bono eoque exoptatiſſimo fato, nobis obtigit. Quae uero REGIOMONTANI opera, partim ab ipſo auctore adhuc uiuente, partim, poſt eius mortem, ab aliis, prodita fuerint, quamdiligentiſſime annotauit laudatiſſimus Dom. DOPPELMAYERVS, ad cuius eximium opus, (*die Hiſtoriſche Nachricht von den Nürnbergiſchen Mathematicis und Künſtlern*) breuitatis ſtudio, Lectores remittimus. Quoniam uero INDEX ille, in maioris chartae folio, forma quidem patente, excuſus, et in duas partes, ſiue *Columnas*, ut uocant, diuiſus eſt, ita quidem, ut in priore columna, ſcripta ALIENA, maxime ueterum Graecorum Latinorumque; in altera uero SVA opera, recenſuerit auctor, quo iudicia cenſuramque aliorum eruditorum experiretur; neque uero hae noſtrae chartae *columnas* iſtas, iuxta ſe poſitas, commode capiant: iam partem alteram alteri ſubiicere neceſſe habemus.

Haec

* * *

Haec opera fient in oppido Nuremberga Germaniae ductu Ioannis de Monteregio.

ALIENA.

Theoricae nouae planetarum Georgii Purbachii aſtronomi celebratiſſimi : cum figurationibus oportunis.

Marci Manlii aſtronomica. Haec duo explicita ſunt.

Coſmographia Ptolemaei noua traductione. Nā uetula iſta Iacobi Angeli florētini quae uulgo habetur uicioſa ē : interprete ipſo (bona uenia dictū fuerit) neq; linguae graecae ſatis neq; mathematicae noticiam tenente. Qua in re ſummis arbitris fidem haberi fas erit : Theodoro Gazae clariſſimo uiro ac graece latineq; doctiſſimo : & Paulo Florentino graecarum quidem haud ignaro : in mathematicis aūt plurimū excellenti.

Magna compoſitio Ptolemaei : quā uulgo uocāt Almaieſtū noua traductione.

Euclidis elemēta cum anaphoricis Hypſiclis, editione Campani euulſis tamen pleriſq; mendis : quae proprio etiā indicabūtur cōmentariolo.

Theonis alexandrini clariſſimi mathematici commentaria in Almaieſtum.

Procli ſuſſormationes aſtronomicae.

Quadripartitum Ptolemaei et centum fructus eiusdē noua traductione.

Iulius

Iulius Firmicus quantus reperitur.

Leopoldus de Auſtria. & ſi qui alii p̄dictores aſtrologici illuſtratione digni uidebuntur. Nam Antonii quoq; de Montulmo quaeuis fragmenta in uſum multiplicem exponentur.

Archimedis geometrae acutiſſimi opera de ſphaera et cylindro. De circuli dimenſione. De conalibus et ſphaeralibus. De lineis ſpiralibus. De aequipōderantibus. De quadratura parabolae. De harenae numero. Cum cōmētariis Eutocii aſcalonitae in tria opera ex praedictis: ſcilicet de ſphaera et cylindro. de dimenſione circuli. de aequipōderantibus. Traductio eſt Iacobi cremonenſis: ſed nō nuſquam emendata.

Perſpectiua Vitelonis. opus ingens ac nobile.

Perſpectiua Ptolemaei.

Muſica Ptolemaei cum expoſitione Porphyrii.

Menelai ſphaerica noua editione.

Theodoſii ſphaerica. item de habitationibus. de diebus et noctibus noua traductione.

Apollonii pergenſis conica. Item Sereni cylindrica.

Heronis inuenta ſpiritualia. Opus mechanicū mirae uoluptatis.

Elementa arithmetica Iordiani. Data eiuſdem arithmetica.

Quadripartitum numerorum. Opus uariis ſcatens argutiis.

Problemata mechanica Ariſtotelis.

Hygini Aſtronomia cum deformatione imaginum caeleſtium.

Facta

Digitized by Google

Facta praeterea eſt arbor rhetoricae tullianae ſpecioſa imagine.

Et fiet deſcriptio totius habitabilis notae quam uulgo appellant Mappam mundi. Caeterum Germaniae particularis tabula: itē Italiae: Hiſpaniae: Galliae uniuerſae: Graeciaeq;. Sed & ſuas cuiq; hiſtorias ex auctoribus plurimis curſim colligere ſtatutum eſt: quae uidelicet ad montes: quae ad maria: ad lacus amnesq; ac alia particularia loca ſpectare uidebuntur.

OPIFICIS [ipſius REGIOMONTANI,] tentata. quae eſſent ne prodenda an non: pudor ingenuus & reſpublica literaria diu inter ſe diſceptauere. Ratio audendum cenſuit.

Kalendarium nouū quo promūtur coniūctiones uerae atq; oppoſitiones lumīarium. itemq; eclipſes eorūdē figuratae. loca luminarium uera quotidie. horarum tam aequinoctialium quam temporalium diſcrimina duplici inſtrumento ad quaſuis habitationes. ac alia plurima ſcitu iucudiſſima.

Ephemerides, quas uulgo uocāt Almanach ad triginta duos annos futuros. ubi quotidie intueberis ueros motus oīm planetarum capitiſq; draconis lunaris: una cū aſpectibus lunae ad ſolem et planetas. horis etiam aſpectuum eorundem haud friuole adnotatis. neq; planetarum inter ſe aſpectibus praetermiſſis. In frontibus paginarum poſita ſunt indicia latitudinū. Eclipſes deniq; lu-

Digitized by Google

minarium ſi quae futurae ſunt locis ſuis effigurantur.

Haec duo opera iam prope abſoluta ſunt.

Commentaria magna in Coſmographiā Ptolemaei: ubi exponitur fabrica uſuſq; inſtrumēti Meteoroſcopii: quo Ptolemaeus ipſe uniuerſos ferme numeros toti⁹ operis ſui elicuit. Falſo enim quiſpiā crediderit tot lōgitudinum latitudinumq; numeros per ſupernorum obſeruationes inotuiſſe. Praeterea deſcriptio ſphaerae armillaris una cū tota habitabili in plano ita dilucidatur ut pleriq; omnes diſcere q̄ant. quam nemo antehac latine intellexit uicio traductoris obſtante.

Commentariolū ſingulare contra traductionem Iacobi Angeli Florentini. quod ad arbitros mittetur.

Theonis alexandrini defenſio in ſex uoluminib⁹ cōtra Georgium Trapezuntium. ubi plane quiuis deprehendet friuola eius eſſe cōmētaria in Almaieſtū. traductionemq; ipſam operis ptolemaici uicio non carere.

Commentariolum quo cōmonſtrantur placita Campani ex editione elementorum geometricorum reiicienda.

De quinq; corporibus aequilateris quae uulgo regularia nūcupātur: quae uidelicet eorum locū impleant corporalē et quae nō. contra commentatorem Ariſtotelis Auerroem.

Comētaria in libros Archimedis eos qui Eutocii expoſitioē carēt. De

Digitized by Google

De quadratura circuli. contra Nicolaum Cuſenſem.
De directionibus. contra Archidiaconum parmenſem.
De diſtinctione domiciliorum caeli. contra Campanum et Ioannem Gazulum raguſinū: cuius et alia de Horis temporalibus decreta ibidem retractantur.
De motu octauae ſphaerae. contra Tebith ſuosq; ſectatores.
De inſtauratione Kalendarii eccleſiae.
Breuiarium Almaieſti.
De triangulis omnimodis quiq; uolumina.
Problemata aſtronomica ad Almaieſtum totum ſpectantia.
De Cometae magnitudīe remotiōeq; a terra. de loco ei⁹ uero et caet.
Problemata geometrica oīmoda. Opus fructuoſae iucūditatis.
Ludus paonienſis: quē alias uocare libuit Tabulas directionū.
Tabula magna primi mobilis cū uſu multiplici ratōnib⁹q; certis.
Radii uiſorii multorum generum cū uſibus ſuis.
De pōderib⁹ et aquaeductib⁹ cū figuratiōib⁹ inſtrumētoꝝ ad eas res neceſſariorum.
De ſpeculis uſtoriis atq; aliis multorū generū uſusq; ſtupendi.
In officina fabrili Aſtrarium in continuo tractatu eſt. Opus plane pro miraculo ſpectandum.
Fiunt & alia inſtrumenta aſtronomica ad obſeruatio-

Digitized by Google

nes caeleſtium. itemq; alia ad uſum uulgarem quotidianum. quorum nomina longum eſt recitare. Poſtremo omnium artem illam mirificam litterarum formatricem monimentis ſtabilibus mandare decretum eſt. (deus bone faueas). qua re explicita ſi mox obdormierit opifex mors acerba non erit: quom tantum munus poſteris in haereditate reliquerit: quo ipſi ſe ab inopia librorum perpetuo poterunt uindicare.

OBSERVATIONES QVAEDAM AD IO. REGIOMONTANI VITAM INDICEMQVE EIVS OPERVM.

OBSERVAT. I. Ex his, quae hactenus de IO. REGIOMONTANO expoſuimus, eum quidem cognoſcimus ad pulcherrimarum rerum ſcientiam ſingulari beneficio Dei excitatum, et, quod THOMAS VENATORIVS, in *Praefat. ad Archimedis opera*, ait, extra communem mortalium aleam a natura poſitum fuiſſe, ita, ut dubium ſit, an orbis in mathematicis diſciplinis, ab aliquot ſaeculis, habuerit maiorem: adeoque neque ſimpliciter ἀδύνατον, neque incredibile memoratu, habendum, tantum tamque inſignem mathematicum artem librorum typis imprimendorum inueniſſe: attamen, quamuis tanti uiri famae honorique nihil per nos derogatum uelimus, ueritatis tamen amore inducti fatemur, nulla euidentia huius rei indicia ex eius uita nobis occurrere, neque aliunde conſtare, eundem, uel Moguntiam, uel Argentoratum, excucurriſſe, ad conſilia cum typographis primis conferenda; licet non negemus, eum etiam per literas ſaltem cum iis agere potuiſſe. Imo tanta huius uiri modeſtia, tantusque eius animi ingenui candor, animaduertitur, ut in *Praefatione Dialogi contra Gerardi Cremonenſis Theoricas planeta-*

netarum, Germanis quidem noſtratibus tribuat hanc artem; neque tamen ſe in ſocietatem inuentorum diſerte adſcribat. *Quis enim*, inquit, *neſciat*, *mirificam illam formandi artem* [id eſt typographiam,] *nuper a noſtratibus excogitatam, obeſſe tantum mortalibus, ſi mendoſa diſſeminentur librorum uolumina; quantum prodeſt, exemplaribus rite correctis?*

OBSERVAT. II. Interim tamen, ſi ultima uerba INDICIS *operum Regiomontani* reſpicimus; liquet omnino, eum nihilominus magnum aliquod conſilium inſtitutumque, quod ad artem typographicam, *monimentis ſtabilibus mandandam*, adeoque uel ad modum eius artis exercendae faciliorem, uel ad eandem adhuc magis perficiendam ornandamque, faceret, animo concepiſſe, reque ipſa molitum eſſe: quum DEVM tam ſerio uoto imploraret, ut faueret conatibus ipſius, quumque teſtaretur, ſi, quod intenderat, aſſecutus fuerit, perfeceritque, mortem ſibi non acerbam futuram eſſe. Quod quale fuerit inſtitutum, miramur magis, quam explicare poſſumus; niſi forte ſimile illi fuerit, in quod celeberrimus quondam Ienenſium Mathematicus, ERHARDVS VVEIGELIVS, uel exemplo REGIOMONTANI, uel ſuo ingenio, inductus, incidiſſe perhibetur. De quo PAVLVS PATER, in *Differt. de Germaniae miraculo, typis literarum*, *cap.* II, § 7, *pag.* 15, haec prodidit: *Nouum plane preli typographici genus Erhardus VVeigelius, Mathem. Prof. in Academia Ienenſi, Praeceptor et hoſpes noſter olim, non ſine honore nominandus, ante aliquot luſtra adinuenit, cuius ope uel unicus operarius tantum praeſtare poteſt, quantum in uulgari illo uix duo robuſtiſſimi effectui dare ualent; ſed, deprecantibus nobile hoc inuentum typographis, et multitudini illorum magis obeſſe, quam prodeſſe, dictantibus, ne otioſi algere eſurireque cogantur, retraxit in angulum ipſe auctor, et, ne publici uſus fieret, aſſenſit; ego tamen in aedibus eius admirando operi non ſemel manum admoui.*

H 3 OBSER.

OBSERVAT. III. Neque eſt, quod opinemur, *Regiomontanum* hos conatus prorſus fruſtra cepiſſe. Etſi enim, morte interceptus, pertexere non potuerit, quod exorſus erat; quantum tamen ille iam tum in arte typographica praeſtiterit, etiam e libris paucis, ex eius officina proditis, aliquatenus intelligimus. Ante uero, quam *Indicem* operum edendorum publicaret, ſe iam *Georgii Purbachii Theoricas nouas*, item et *Marci Manlii*, [ſiue *Manilii*] *Aſtronomica*, prodidiſſe; e ſuis uero operibus, *Kalendarium nouum*, et *Ephemerides*, *iam prope abſoluiſſe*, ipſe profeſſus eſt. Exemplar *Aſtronomicorum M. Manilii*, teſte PALMERO, ſupra, *pag.* 48, citato, extat in *Anglia*, in *Bibliotheca* PEMPROCKIANA; cui quidem exemplari nulla temporis, loci tamen et officinae, notatio eſt addita: EX OFFICINA IOHANNIS DE MONTE REGIO, IN NVREMBERG. 4. Etiam IO. ALB. FABRICIVS, *Vol.* II *Bibl. Latin. pag.* 410, annotauit, extare editionem Norimbergenſem MANILII, ex officina *Io. de Regiomonte*, in 4. MANILIVS igitur ſine dubio intra annum 1471 et 1473 prodiit. Cum uero iſtam editionem Norimbergenſem uidere nobis nondum contigerit, nec quidquam certi de typis eius afferre poſſumus. At in Bibliotheca publica PERILL. REIP. NORIMBERGENSIS inuenimus, diligenterque contemplati ſumus, THEORICAS NOVAS PLANETARVM GEORGII PVRBACHII, ASTRONOMI CELEBRATISSIMI, in *fol.* In his, ſiue candorem chartae, ſiue elegantiam typorum, uel characterum Romanorum, non eorundem quidem, at perquam ſimilium iis, quibus deinceps Venetiis, et poſthaec Auguſtae Vindelicorum, uſus eſt ERHARDVS RATDOLT, Auguſtanus, accuratius ſpectes, facile in admirationem rapiaris, pronusque coniicias, *Ratdoltum* iſtos *Regiomontani* characteres poſtea imitatum eſſe. Tacemus impreſſas literas maiores, et capitales, uariis ductibus, et quaſi *floribus*, ornatas, (unde et *literae florentes*

tes audierunt,) quibus initia libri, et ſingulorum Capitum, condecorantur; itemque *figuras mathematicas*, ligno ſubtiliter inciſas, quibus hoc opus paſſim illuſtratur. Totus liber non niſi foliis uiginti conſtat; neque ullum expreſſum indicium, uel loci, uel temporis, uel officinae, exhibet; imo neque nomen editoris, *Io. Regiomontani*, oſtendit. Nihilominus certum exploratumque habemus, eum ex officina *Iohannis Regiomontani*, Norimbergae anno circiter 1472, uel 1473, prodiiſſe: quoniam in hoc eadem charta, eademque chartarii inſignia, (nempe *caput bubulum*, inter cuius cornua ſurgit *crux*, et cruci demum imponitur quaſi *roſa*;) quin imo iidem prorſus typi minores maioresque, conſpiciuntur, qui in libris aliis e Regiomontani officina Norimbergenſi editis, nempe in *Calendario*, et in *Dialogo aduerſus Gerardum Cremonenſem*, animaduertuntur.

OBSERVAT. IIII. Quod ad CALENDARIVM attinet, id et Latinum, et Germanicum, edidit *Regiomontanus*; quamuis, in *Indice eius Librorum*, non facta ſit utriusque linguae mentio. Vtrumque *Calendarium* incipit ab A 1475, et progreditur ad A. 1513. Vtrumque etiam Norimbergae, uti conſcriptum, ita excuſum eſt. Nam in *Latino*, ſub titulo: DE CONIVNCTIONIBVS AC OPPOSITIONIBVS LVMINARIVM, haec uerba legimus: *Verum omnem hanc ſupputationem horarum cum minutiis ſuis ad meridianum oppidi Nurembergenſis referri uoluimus, quod locus ille dignus uidebatur, quem nouo litterarum genere celebraremus. Hoc etiam accedente, quod in ea habitatione noſtra preſens opuſculum condidimus. Nec tamen idcirco alios quosuis locos uſu Kalendarii noſtri fraudauimus: ſed ipſum quaſi munus commune toti ferme Europe, impertiuimus, ſubiuncta regionum tabula, quae docet, quantum quiuis alius locus numeris ſcriptis addere debeat, aut detrahere.* etc. In *Germanico* etiam *Calen-*

Digitized by Google

Calendario, ſub titulo: *Wie man den nevven monde vnd volmonde finden ſal;* haec legimus: *Ich vvarn dich fürpas, daz alle ſölhe rechnung gericht iſt auf die hochlobſame ſtat Nüremberg. Darümb ſo du andersvvo vvonhafft piſt, ſuch den namen deiner ſtat oder der nabſten dapei in der tauel der lande und ſtete.* etc. Finitur uero his uerbis: *Alſo iſt begriffen kürzlich diſſ Kalenders nuz und tüglichait nach meinem ſlechten tevvtſche vnd chlainem vermögen.* Demum calci Calendarii Latini haec ſubiiciuntur uerba typis maiuſculis: DVCTV IOANNIS DE MONTE REGIO. Fini autem Calendarii Germanici ſolum nomen Germanicum Regiomontani additur:

M. Iohan von Köngſperg.

Vtrumque hoc Calendarium ex eadem officina typographica prodiiſſe, uel primus oſtendit declaratque eorum adſpectus. In Latino iidem prorſus ſunt typi minores, qui in *Ge. Purbachii Theoricis nouis*, et *Ioh. Regiomontani Dialogo aduerſus Gerardum Cremonenſem* comparent. In Germanico, prorſus nouum et antehac in nulla typographia uiſum genus literarum Germanicarum, Latinis quidem ratione magnitudinis par, at ratione ductuum diuerſum, et hodiernae ſcripturae, quae a *Cancellaria* uulgo nomen habet, fere ſimile. In utroque denique Calendario, non ſolum nomina praecipuorum Sanctorum, dierumque feſtorum, typis miniatis exprimuntur; ſed et in initiis capitum iidem prorſus typi Latini maiorum, earumque *florentium*, literarum, atro colore exprimuntur. Quid? quod et in chartis utriusque Calendarii aeque, ac in chartis *Theoricarum nouarum Purbachii*, itemque *Regiomontani Dialogo*, de quo mox dicemus, eadem animaduertuntur inſignia chartularii, nempe *maius quoddam caput bubulum*, inter cuius cornua

ſurgunt

ſurgunt duae lineae forma pyramidali, quibus imponitur forma *crucis*, et *cruci*, *roſa*. Ac, ne quod dubium ſuperſit, an haec Calendaria in officina Ioh. Regiomontani ſint excuſa, certum eius rei indicium afferre poſſumus. Scilicet exemplar huius *Calendarii* poſſidet Maxime Reuerendus Antiſtes Norimbergenſium ad aedem Spiritus S. Dom. HERDEGENIVS, in quo ſuperne calamo adſcripta ſunt nomina quorundam menſium, *Iunii*, *Iulii*, *Septembris*, *Octobris*, *Decembris*. In ductu horum nominum adſcriptorum aperte cognoſcimus manum ipſius *Regiomontani*, quam ſeruat Bibliotheca publica inclutae Reipublicae Norimbergenſis. Namque ibi, praeter alia *Regiomontani* documenta, aſſeruatur *Codex MS. Graecus Theonis*, quem *Regiomontanus* a *Beſſarione* dono acceperat. Huic *Beſſarion* manu ſua haec uerba Graeca adſcripſerat: *τῦ Θέωνος εἰς τὴν πτολεμαίυ σύνταξιν βίβλος ἐμῦ Βησσαρίωνος Καρδινάλεως τῶν τυσκωλάνων.* His uerbis Regiomontanus ſua manu ſubſcripſit: *Nunc Iohannis de Regiomonte.* Eosdem prorſus literarum ductus, etiam in ſcriptis iſtis menſium nominibus, quiuis, cui contigit utramque ſcripturam inter ſe conferre, facillime agnoſcet. *Pinxit* uero Regiomontanus, ſi quando cum cura ſcripſit, *literarum figuras et uenuſtate et facilitate magna*, quod uere monet ERASMVS REINHOLT, l. c. et certe ductibus literarum eius manu ſcriptarum plane etiam reſponderunt typi, quibus in officina ſua uſus eſt. Si quando autem ſubito concepit, ſcripſitque, animi ſui ſenſa, ut in exemplaribus primis epiſtolarum; eius ſcripta, propter frequentia ſcribendi compendia, paullo difficilius leguntur.

OBSERVAT. V. Nolumus nunc commemorare, quoties ea *Regiomontani Calendaria*, cum ab ERHARDO RATDOLTO, partim Venetiis, partim deinceps Auguſtae Vindeli-

 corum,

Digitized by Google

eorum, tum ab aliis alibi, denuo typis recuſa fuerint. At unum adhuc, idque memoratu digniſſimum, quia *tabulis ligno inciſis*, eo more, qui uulgo tribuitur *Coſtero*, expreſſum eſt, huius Calendarii Germanici exemplar ſilentio praeterire iam non poſſumus; quod nobiſcum, pro ſingulari humanitate ſua, communicauit uir noſtra laude maior, GODEFREDVS THOMASIVS, quem DEVS adhuc quam diutiſſime ſeruet, cum etiam iam octogenarius, in uiridi ſenio, quamcunque de literis literatisque bene merendi occaſionem amplectatur. Vtrum uero iſtae tabulae ligneae, e quibus Calendarium hoc fuit expreſſum, etiam ductu, aut opera *Io. Regiomontani* fuerint caelatae formataeque, ita, ut in his fingendis quaſi experimentum rei typographicae facere uoluerit, quod mihi quondam perſuadere uoluit uir, dum uiueret, doctiſſimus, IO. FRIDER. SCHANNAT: an ab alio artifice ſint profectae, definire haud poſſumus; cum neque temporis, neque loci, neque opificis, expreſſum habeant indicium, imo ne auctoris quidem, *Iohannis Regiomontani*, nomen usquam prodant; ut neſciuiſſemus, id *Regiomontani* opuſculum eſſe, niſi deprehendiſſemus, id ipſum, ratione argumenti et uerborum, cum exemplari, typis mobilibus et fuſis nitide excuſo, ex omni parte conuenire. Charta quidem etiam ſignum *capitis bubuli*, ſed paullo minoris, refert; et ipſa charta aliquantum craſſior eſt, quam quae in aliis libris ex officina Regiomontani editis obſeruatur, adeoque et cuiusuis folii duabus paginis tabulae fuere impreſſae; cum in aliis huius generis libellis ſaepius duo folia ſint conglutinata. Ductus etiam literarum, et figurarum mathematicarum, haud tam politi elegantesque, quam in aliis Regiomontani libris, apparent. Itaque in medio relinquimus, utrum hae tabulae ligneae ad *Regiomontani* primum tentamentum artis typographicae, an ad alius opificis Norimbergenſis officinam, ſint referendae?

OBSER-

OBSERVAT. VI. In Bibliotheca publica Norimbergenſium, aliquoties a nobis laudata, inuenimus et aliud opuſculum *Regiomontani*, nempe *Dialogum*, in quo Gerhardi Cremonenſis errores examinantur. Totus hic Dialogus conſtat decem foliis, et eodem uolumine, in quo extant *Purbachii Theoricae nouae planetarum*, continetur. Eadem utriusque tractatus, uti iam diximus, eſt charta, iidemque typi, et maiores, et minores, deprehenduntur. *Dialogum*, quem *Regiomontanus*, ut ait in praefatione, iam tum conſcripſerat, cum eſſet Romae, demum poſt *Indicem* euulgatum, ante diſceſſum ex urbe Norimbergenſi, librariis ſuis, i. e. typographiae ſuae miniſtris, *formandum* imprimendumque tradiderat. Ita uero ille exorditur Praefationem: VNIVERSIS BONARVM ARTIVM STVDIOSIS IOANNES DE MONTEREGIO S. D. P. *Poſtquam emiſimus Indicem operum, quae librariis noſtris formanda trademus, non nullis ut accepimus laedendi magis quam iuuãdi ſtudio inflammatis illud mox uiſum eſt reprehenſione dignum, quod quorũdam opera ſcriptorum immutare conamur: alioꝝ uero prorſꝰ reiicere nouis uidelicet traductionibus: deinde quod plerisq; probis uetuſtisq; auctoribus contradicere: ac quorundam recentiorum commentaria oblitterare nõ ueremur: nominibus etiam, quod ut iſti putant acerbum eſt, enunciatis.* etc. Quibus uero obiectionibus Regiomontanus ibi grauiter reſpondet. Idem uero, ante publicatum *Indicem*, etiam *Ephemerides, quas uulgo uocant Almanach*, in officina ſua iam prope abſoluerat; quarum uero *Ephemeridum* illam primam editionem uidendi nondum nobis facta eſt copia. Si quis igitur nobis indicare haud grauetur, ubi forte in Germania adhuc lateant, aſſeruenturque, tum M. MANLII, ſiue M. MANILII, *Aſtronomica*, tum *Ephemerides* illae, Norimbergae in officina typographica *Io. Regiomontani*, aut forte

te

Digitized by Google

te et alia eius quaedam opuſcula, primum excuſa, ut hi libri in pleniorem noſtram notitiam peruenire poſſint; is rem nobis gratiſſimam, publicisque gratiis digniſſimam, praeſtabit. Interim in his acquieſcimus, atque id unicum adhuc monemus, ***Regiomontanum***, ſi non cetera inſtituta typographiae excolendae, morte inopinata praepeditus, ad finem perducere potuit, ſaltem primum elegantiſſimos characteres, ſiue typos, itemque genus characterum Germanicorum formandorum, antehac in nulla alia typographia uſitatum, in Germaniam intuliſſe.

ERRATA QVAEDAM CORRIGENDA:

IN EXERCITAT. I.

Pag.	lin.	Error.	Correctio.
6.	25.	*opiniamur.*	opinamur.
7.	9.	*quamem.*	quamen.
13.	ult.	*dedi iſſe.*	dediſſe.
34.	10.	VII.	VIII.
35.	17.	VIII.	VIIII.

IN EXERCIT. II.

Pag.	lin.	Error.	Correctio.
5.	1.	M.CCCC.	M.CCCCL.
7.	26.	*libri capital.*	typi capitales.
11.	5.	*diplomatorium.*	diplomatariorum.
12.	3.	*BALDI.*	BALBI.
13.	4.	*EAVSTO.*	FAVSTO.
14.	24.	*dioteſs.*	dioceſs.
15.	26.	*appartu.*	apparatu.
16.	14.	*Act.* xxxviii.	Act. xxviii.
24.	1.	*Inſtitutinonum.*	Inſtitutionum.

Pag.	lin.	Error.	Correctio.
25.	9.	*exſobe'.*	exſcobere.
25.	10.	*pertbocaragma.*	prothocaragma.
53.	12.	*IOHANNEM SCHOEFFER.*	PETRVM SCHOEFFERVM.

IN EXERCIT. III.

Pag.	lin.	Error.	Correctio.
4.	2.	*dalle.*	dalla.
4.	5.	*di ſtampare.*	l'arte di ſtampare.
4.	ult.	*qui PAVLLVM II.*	qui allocutus PAVLLVM II.
17.	27.	*II. REGVM.*	I REGVM.
23.	16.	*20. Octobr.*	29. Octobr.
27.	5.	*GVTEMB. ac SCHOEFF.*	GVTEMBERGIO ac FAVSTO.
46.	12.	APPENIDIX.	APPENDIX.

DVM, NEGELINE, TENES CELEBRIS VESTIGIA PATRIS,
MORVM ET DOCTRINAE LAVS TIBI CERTA VENIT.

Pereximio doctiſſimoque Dom. GVSTAVO PHIL. NEGELINO
felici eruditionis uirtutisque paternae aemulo
gratulandi cauſſa dabat
C. G. SCHVVARZIVS, P. P.

EXPLICIT. PARS III ILLVSTRATORVM DOCVMENTORVM PRIMARIORVM DE ORIGINE TYPOGRAPHIAE.

1R1
1157628